Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Dissertatio theologica inaugurale de Matthia in apostolorum ordinem sorte coöptato, ad locum Actt. Apostt. I: 15-26

https://hdl.handle.net/1874/319009

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,

DE

MATTHIA IN APOSTOLORUM ORDINEM SORTE COÖPTATO,

AD LOCUM

ACTT. APOSTT. I : 15—26.

13

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,

DE

MATTHIA IN APOSTOLORUM ORDINEM SORTE COÖPTATO,

AD LOCUM

ACTT. APOSTT. I: 15—26.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

FRANCISCI CORNELII DONDERS,

MED. DOCT. ET PROF. EXTRAORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN

THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ATQUE SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JANUS JACOBUS STRONCK,

Dordracenus,

S. S. MINISTERII CANDIDATUS,

AD DIEM II JULII, ANNI MDCCCLII, HORA I.

DORDRACI,

TYPIS MANDARUNT BLUSSÉ ET VAN BRAAM.

MDCCCLII.

VIRO

PLURIMUM VENERANDO, DOCTISSIMO,

CAROLO WILHELMO STRONCK,

THEOLOGIAE DOCTORI, ORDINIS LEONIS NEDERLANDICI EQUITI, SOCIETATIS DOCTRINARUM, QUAE HARLEMI EST, HOLLANDICAE, RHENO-TRAJECTINAE, LUGDUNO-BATAVAE, ZEELANDICAE, ITEMQUE BRABANTIAE SEPTENTRIONALIS, SOCIO, APUD DORDRACENOS SACRORUM ANTISTITI GYMNASIIQUE CURATORI,

PATRI CARISSIMO,

S. P. D.

FILIUS.

Mihi contingere magnopere laetor, ut Tibi potissimum, Optime Pater! studiorum primitias dicare possim. Mos enim cum sit ut unusquisque, libellum edens, rationes afferat, quae ipsum ad scribendum impulerint, modumque exponat, quo in argumento suo tractando versatus sit; — hunc ipsum mihi morem sequendum duxi. Quae vero memoranda videntur, quum saepius nunc formâ epistolari tradantur, hoc ipsum mihi valde arrisit. Et cuinam prius, quam Tibi, quae commemoranda videbantur, legenda tradam? Erga Te enim, quamvis tenuiter, pietatis officio fungi cupio, cui, secundum unum Deum, omnia, quae a tenerâ inde aetate habui, bona, ea praesertim, quae animum ad justi, boni verique amorem informare ac componere poterant, me debere, lubens ac palam grato profiteor animo.

Longum est omnia memorare, quae, mea jam in pueritia, sapienter ac benigne fecisti, ut linguarum, cum antiquiorum, tum recentiorum, utiliumque doctrinarum peritiâ me imbuendum curares. Quam peritiam aliquando in munere sanctissimo, quod obeundi mihi semper sincerissima fuit cupido, mihi profuturam esse, optime Tu noveras! Adolescens in Academiam a Te missus sum. Tum vero ac deinceps nec monitis, neque auxilio, nec sumtibus pepercisti, ut stadium academicum bene feliciterque intrarem ac decurrerem. Jam autem, quae magna felicitatis meae pars fuit, Praeceptores habui, amicitiâ Tibi conjunctos, eruditione claros, benignitate erga discipulos celebratos. Quos omnes nominatim nuncupare non opus est. Ceteros etiam omnes grato animo prosecutus, illos imprimis cogito, qui in rebus theolo-

gicis viam mihi straverunt, qua ad harum cognitionem interioremque scientiam mihi comparandam adduci possem: Boumannum, Royaardsium, Vinkium. Qui, ubi mihi in votis esse, ut summos in Theologiâ peterem honores, cognoverant, hoc mihi consilium ita non dissuaserunt, ut potius, disquisitiones, cum iis ex lege instituendas, qui ad Doctoris dignitatem consequendam adspirant, probantes, ad consilium illud exsequendum animum mihi adderent. Quos ut consequerer honores, quantum mihi auxilii attulerit Boumannus, *Promotor aestumatissimus*, et Tibi notum est, et apud me eo valebit, ut nunquam non Ejus benignitatis memor sim, qua semper ad opem mihi ferendam atque ad sapientiae mihi praestanda consilia paratissimus erat! Pro qua erga me benevolentia hîc palam ac pu-

blice maximas, quas possum, Ei ago gratias.

Abiit autem illud tempus academicum, neque unquam mihi redibit. Jucundissimae sane horae in studiis consumtae; utilissima ac gratissima conversatio cum amicis, qui ut felices sint in omnibus, quae peragenda sibi invenient, vehementer opto, quorumque memoriam usque colam. — Sed haec ad praeteritum tempus referenda sunt. Euangelium mortalibus iisdemque peccatoribus annuntiandi munus, quo Tu per undecim fere lustra pie ac religiose functus es, fore ut mihi postmodum etiam mandetur, spero.

Quod nobis proposueramus, hoc igitur, ut potuimus, peractum est. Dissertationis, quam Tibi offero, conscriptio pars erat posterior, pensi iis, qui Doctoris honorem ambiunt, positi. Quam vero difficile sit,

aptam dissertationis eligere materiam, novisti. Et plus semel consilium me mutâsse, donec tandem ad hoc tractandum argumentum pervenirem, idem Tu meministi. Quo ipso de argumento plura ac meliora ab aliis dici potuisse, lubens equidem fateor. Attamen meum hoc opusculum Tibi non displiciturum esse spero, nec, ut pietatis testimonium, Tibi inscriptum, ingratum fore confido.

Sed epistolae finis imponendus videtur. Utinam, eodem aliquando tempore, Tu atque ego salutis nuntium in Ecclesiâ Nederlandicâ praedicemus! Aut, quum Tibi otium bene meritum, aliquod post tempus, exspectandum sit, me vero statio quaedam, si Ecclesiae Domino placuerit, maneat, vestigia Tua quodammodo premere mihi contingat, ac multis utilem

esse! — Tu, *si quid mea vota valent, diuturna quiete frueris post longum indefessumque laborem! Ita faxit Deus Optimus Maximus, ac Suo favore Te complectatur Matremque meam carissimam, Consanguineos optimos meamque dilectissimam, quam futuram spero, vitae Sociam, quam ut Filiam amare haud desinas! Vale!*

Scripsi DORDRACI, mense Junii, MDCCCLII.

INTROITUS.

Dominus noster ac Conservator, Jesus Christus, Dei Filius, quum, humanam induens naturam, in hancce terram de coelo descendisset, ut τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν inter homines conderet, ab eo inde tempore, quo, sacra lavatione tinctus, atque a Johanne Doctor ac Legatus Divinus declaratus, publice prodierat, homines docebat, regnum coeleste appropinquasse, ac propterea μετανοίᾳ iis opus esse. Hujus vero regni coelestis nonnisi fundamenta jacere Christo propositum erat; illud per orbem terrarum mortalibus annunciare aliorum futurum erat pensum atque officium. Ad quod igitur munus obeundum, ex multis illis, qui Eum

sequebantur, discipulis, duodecim ab Eo eligebantur, qui, post Magistri e terra abitum, huic operi, cujus Ipse initium fecerat, omnibus viribus studerent.

Horum, quorum nomina et alibi in N. T. reperiuntur, et Matth. X: 2--4, variae erant dotes, varia animi conditio, omnibus praeter unum Proditorem idem erga Christum Magistrum amor ardentissimus (1). -- Attamen *homines* erant. Hinc variis etiam vitiis laborabant. Prae ceteris vero Judas Cariothaeus hominem referebat peccati veneno a virtutis pietatisque tramite turpiter aberrantem. Christi vero sapientia suae causae id profuturum esse noverat, ut in ordine eorum, qui genus humanum transformaturi essent, totum genus humanum tanquam repraesentaretur. Ita pessimae indolis homini contigit, ut optimi Magistri institutione atque usu familiari frueretur. Sed eheu! institutio illa atque usus ille familiaris eventu, quem egregium habere potuissent, caruerunt. Φιλαργυρία ductus ad

(1) Conff. doctissimi J. J. VAN OOSTERZEE *Leven van Jezus*, II, I, pg. 222—248, *Leerredenen*, pg. 43—72, et *Leerredenen*, quibus titulus est: *Woorden des levens*, pg. 33—68.

immane facinus perpetrandum se abripi passus, Judas Domini ac Magistri proditor exstitit. Ita tradidit Christum populi Judaici Magnatibus. Sed mox facti eum poenituit; ad templum rediit; et nummos argenteos, quos in proditionis pretium acceperat, reddens, palam professus est, se peccavisse tradendo sanguinem insontem. E templo egressus in locum desertum se contulit, ibique miserrimo modo periit. -- En! vitae exitum illius hominis, de quo Christus locutus erat: Οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται· καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος. Matth. XXVI: 24[b] (1).

Interea Jesus falso accusatus est, injuste damnatus et cruci affixus. Post dolores gravissimos et perpessiones atrocissimas mortuus est ac sepultus; at tertio post mortem die, in vitam redux, gloriose e sepulcro exiit, et per quadraginta dies denuo in terra commoratus est. Per illud temporis intervallum saepius discipulis suis se conspiciendum dedit, cum illis locutus est de

(1) Conf. Josephi Ferenczy disp. theol. inaug. *de consilio et causis proditionis Judae*, Traj. ad Rhen. 1829.

iis, quae regnum divinum spectabant, promisitque, Se Spiritum Sanctum, τὸν Παράκλητον, iis missurum esse, qui Ipsius, a terra digressi, locum apud eos occuparet. Discipuli, Magistri verbis fidem habentes, Hierosolymis manserunt, saepius in templo commorantes, ibique Spiritûs Sancti dona, sibi a Domino promissa, exspectantes.

Attamen Apostolorum societas, Juda amisso, disrupta erat. Unus ex illis in suum locum abierat; alius quispiam e ceteris Jesu sectatoribus, judice Petro, indicante vaticinio, locum ejus occupet. Petrus hac de re coram satis magna eorum multitudine verba facit. Probant hi suadentique assentiunt. Optio inter binos sorti permittitur. Matthias undecim Apostolis aggregatur. Quae igitur *Matthiae in Apostolorum ordinem sorte definita coöptatio, a Luca in Apostolorum Actis, Capite I, sectionibus 15^ma usque ad 26^mam narrata*, hujus qualiscunque speciminis erit argumentum. In quo tractando bipartita erit disputatio, ita ut *prior* pars sit *critico-exegetica*, *posterior ethico-theologica*.

PARS PRIOR.

Critico-exegetica.

Pars *prior*, quae *critico-exegetica* dici potest, *duas* continebit sectiones, quarum *altera* criticam textus constitutionem exhibebit, *altera* ipsam loci interpretationem complectetur. -- Hisce vero pauca praecedant, quae mihi in antecessum videntur dicenda.

Praemonenda.

Antequam enim ipsum, quod mihi sumsi, argumentum aggrediar, nonnulla mihi dicenda

fortasse quis putabit, quae hujus Actuum Apostolicorum pericopae αὐθεντίαν, ἀξιοπιστίαν ac *fontes* spectant. Ubi tamen, quae ad nostrum pertinent consilium, paucis absolvi poterunt. Etenim multis verbis opus non erit post ea, quae doctissime hisce de rebus universis alii disputarunt, ad quorum scripta lectores dimittere licebit.

Ad libri igitur locique *authentiam* quod attinet: -- imprimis conferendi sunt viri docti J. J. VAN OOSTERZEE *de pretio Act. Apost. etc.* in *operibus Societatis Haganae pro defendenda religione Christiana*, vol. VII novae seriei, praecipue pgg. 12-60, et scriptores, ab eo vel citati ad suam sententiam comprobandam, vel refutati, -- et J. AB UTRECHT DRESSELHUIS *de Euangelio Lucaneo*, in *ejusdem Societatis operibus*, vol. I, item novae seriei.

De ἀξιοπιστίᾳ praeter nonnulla in opere citato doctissimi VAN OOSTERZEE, praesertim conf. doctissimus A. C. DE MEYIER in singulari dissertatione theol. inaug. *de Lucae ἀξιοπιστίᾳ in scribendo Act. Apost. libro*, Traj. ad Rhen. 1827, -- et

prae ceteris G. V. Lechleri commentatio (1), nuperrime a Societate Teyleriana theologica edita, Harlemi, 1851, pag. 6-12; qua recentiorum, Schraderi imprimis, Baurii, Schneckenburgeri, Gfröreri et Schwegleri dubia, contra Lucanei hujus libri historicam fidem mota, breviter quidem, sed satis superque refutavit.

De libri *fontibus* tandem sufficiat indicasse doctissimi J. C. Riehmii praeclaram dissertationem critico-theol. inaug. *de fontibus Actuum Apostolicorum*, Traj. ad Rh. 1821.

---

(1) Cui titulus : *Das Apostolische und das Nachapostolische Zeitalter, mit Rücksicht auf Unterschied und Einheit zwischen Paulus und den übrigen Aposteln, zwischen Heidenchristen und Judenchristen.*

SECTIO PRIOR.

Criticus loci Conspectus.

Quae ad criticam textûs rationem locique lectionem genuinam constituendam pertinent, haec paucis absolvi possunt. In plerisque enim collati Codices, Versiones antiquae, Patrumque Ecclesiasticorum allegationes cum vulgata receptaque scriptione consentiunt. Nec tamen illa, in quibus ab ea recedunt, praetermittenda; sed potius, praeëuntibus Criticis, iis imprimis, qui editiones Novi Testamenti criticas, quae dicuntur, procurarunt, GRIESBACHIO praesertim, SCHOLZIO, LACHMANNO et TISCHENDORFIO, breviter hic judicanda sunt.

S. 15.

Καὶ ἐν. Ita, favente arcto, qui hisce cum praecedentibus intercedit, nexu, legendum cum Recepta,

Codicibus ABC, aliis, versione Coptica al., THEOPHYLACTO et AUGUSTINO, qui semel ita habet. Pro καὶ ἐν DE, versio Sahidica, Persica in Polyglottis Londinis in margine, et AUGUSTINUS semel, habent ἐν δέ, dum in versione Vulgata simplex ἐν reperitur. Tuiti sunt καὶ ἐν cum SCHOLZIO GRIESBACHIUS, LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS. Assentit VATERUS, in *ed.* N. T. *Hal.* 1824.

Πέτρος. Articulum ὁ praeponit Codex Cantabrigiensis.

Ἐν μέσῳ. In Codicibus ACE reperitur ἐμμέσῳ, quod per aurium lapsum ortum esse videtur.

Μαθητῶν. Ita habent cum editione recepta Codices C***DE alii, THEOPHYLACTUS, CYPRIANUS et AUGUSTINUS bis, probantibus GRIESBACHIO et SCHOLZIO, quodammodo tamen dubitante *illo*. LACHMANNUS vero et TISCHENDORFIUS praeferunt cum ABC*, aliis quinque, et Versionibus Vulgata, Coptica, Sahidica, Aethiopica et Armenica ἀδελφῶν, quod tamen facile e sectione sequente male huc inculcari potuit. Μαθητῶν recte etiam legit cum supra allatis

testibus Versio Syriaca Peschito, quae habet:



Τε. Ita post Imperfectum ἦν vulgato cum textu legendum, monente WINERO (1), cum ABE gr. aliis, THEOPHYLACTO bis, GRIESBACHIO, VATERO, LACHMANNO et TISCHENDORFIO. Huic vero τε particulam δέ substituunt CD**d**al., Vulgata et Coptica, Syriaca, cum Peschito tum Philoxeniana, CYPRIANUS et AUGUSTINUS; dum d* praeterea addit γάρ. Nihil substituentes, omittunt τε THEOPHYLACTUS semel et versio Sahidica. Quod saepe factum, orationis nexu non perspecto, male vulgatam lectionem mutarunt librarii.

Ὡς ante ἑκατόν. AC, alii duo et THEOPHYLACTUS bis, habent ὡσεί. Etiam alibi hae voculae in Codicibus permutantur.

Εἴκοσιν. Ita editio recepta, GRIESBACHIUS et SCHOLZIUS. -- LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS cum ABC εἴκοσι. Codex D habet ϱκ et E εἰκόσει.

---

(1) *Grammatik des Neu-testamentlichen Sprachidioms*, §. 57, 3°. Edit. 5ᵗᵃᵉ.

S. 16.

Ἔδει. Ita editio recepta, Griesbachius, Vaterus, Scholzius, Lachmannus et Tischendorfius cum ABCD**E etc., versionibus longe plurimis, Origene aliis; quod praeferendum videtur lectioni δεῖ, quae occurrit in D*, vulgata versione, d, Irenaeo manuscripto, Augustino, Vigilio et Gilda. Locorum, quos citat Petrus Sect. 20, alter ad exitum jam pervenerat; alter vero, ex ejus consilio, nunc eventum habere debebat. Hinc fortasse varia lectio orta, cum illi, qui scriberent ἔδει, priorem ante oculos haberent, qui vero δεῖ, posteriorem.

Τὴν γραφὴν ταύτην. Sic legendum videtur cum Recepta, Griesbachio, dubitante tamen illo, Vatero, Scholzio, et Codicibus C***DE. -- Simpliciter γραφήν habent Lachmannus et Tischendorfius. Qui secuti sunt ABC* h aliosque minusculos 8, Vulgatam aliasque versiones plurimas, Origenem bis, Eusebium, Athanasium aliosque. De variantis origine si forte quaeris, ternorum, *juxta se positorum*, vocabulorum τὴν γραφὴν ταύτην, eadem clausula ην in errorem impulisse videtur librariorum oculos. Neque igitur est quod de receptae lectionis veritate dubites.

Διὰ στόματος Δαβίδ. Omittit haec verba versio Aethiopica.

Τὸν Ἰησοῦν. Ita habent recepta, GRIESBACHIUS et SCHOLZIUS, codices C***DE et THEOPHYLACTUM secuti; -- Ἰησοῦν vero LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS cum ABC* et EUSEBIO.

S. 17.

Σὺν ante pronomen ἡμῖν. Pro hac praepositione, quam reperimus in editione recepta, cum GRIESBACHIUS (neque hic tamen sine dubitatione), tum SCHOLZIUS, LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS cum ABCDE h aliisque multis, versionibus quibusdam et EUSEBIO, legunt praepos. ἐν. Quae lectio commendari videtur per locum 2 Chron. XXXI: 19, ubi Alexandrina versio eadem utitur constructione. Quamquam certius habet praesidium in praestantissimorum Codd. auctoritate. De partic. κατηρτισμένος pauca infra notabimus.

Ἡμῖν. Pro vulgari hacce lectione unus THEOPHYLACTUS cum Cod. 1 habet ὑμῖν, quod tamen aliorum auctoritate niti non videtur. Re-

cepit TISCHENDORFIUS: nec multos profecto sententiae socios habebit.

Καί. Post καὶ, monente TISCHENDORFIO, Codex D* habet ὅς.

S. 18.

Τοῦ μισθοῦ. Ita STEPHANUS et editio recepta. Omittunt autem *articulum* GRIESBACHIUS, SCHOLZIUS, LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS cum ABCDE h aliisque longe plurimis Codd., assentientibus EUSEBIO uno aliquo loco, CHRYSOSTOMO aliisque. Nec repugnat VATERUS. Versio vero Sahid., Syriaca Philoxen. cum aster., EUSEBIUS alio quodam loco et AUGUSTINUS addunt αὐτοῦ. Quod glossema post vocabulum ἀδικίας inculcârunt.

Πρηνής. Optimorum Codicum auctoritate ita legendum. Per notissimam illam, quam *Itacismum* dicimus, pronuntiandi rationem Codd. AC et sex alii et scholion habent πρινής. PAPIAS apud THEOPHYLACTUM habet bis πρησθείς; -- alii *pronus;* -- Vulgata et BEDA *suspensus;* -- AUGUSTINUS *dejectus in faciem.*

Ἐλάκησε. Minusculi octo, scholion et THEOPHYLACTUS semel habent ἐλάκισε. Ex eodem, quem modo memoravimus, *Itacismo* repetenda lectio.

Πάντα. Omittitur haec vox a Cod. A, THEOPHYLACTO semel et GAUDENTIO. Male sine dubio.

S. 19.

Καί. Post καὶ versio Sahidica ponit τοῦτο. Ante idem καὶ Cod. D gr., unus minisculus et AUGUSTINUS habent ὅ. Quae nihili sunt lectiones.

Ἰδίᾳ. Pro hac voce duo codices litteris minusculis scripti habent Ἰουδαίᾳ, quod speciem habet interpretamenti. D, versiones multae et AUGUSTINUS eam omittunt.

Διαλέκτῳ αὐτῶν. Transposita reperiuntur haec verba in Cod. E, uno minusculo et AUGUSTINO.

Ἀκελδαμά. Ita habent STEPHANUS, editio recepta et GRIESBACHIUS cum Cod. C, versione Coptica et Vulgata. LACHMANNUS et TISCHEN-

DORFIUS Ἀκελδαμάχ; ex parte secuti codicem A (Ἀχελδαμάχ) BD (Ἀκελδαιμάχ) et E (Ἀκελδαμάκ), etc. Receptam vero tuentur VATERUS et SCHOLZIUS. Recte, ut videtur.

S. 20.

Αὐτοῦ *prius*. Hanc lectionem jure praetulisse videntur cum editione recepta GRIESBACHIUS, SCHOLZIUS, LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS, illi, qua pro hac voce legitur αὐτῶν, quae occurrit in multis minusculis, versione vulgata, d*, Aethiopica et Armenica. -- Petrus enim, hos psalmorum locos citans, versione Alexandrina usus esse videtur; -- ibi autem pronomen in plurali numero occurrit, unde lectio αὐτῶν facile explicari potest. Huic vero loco, ubi de uno Juda sermo est, singularis numerus melius convenit.

Ἔστω. Codex D* habet ἦ.

Λάβοι. Ita STEPHANUS et GRIESBACHIUS ac SCHOLZIUS, cum recepta secuti Codicem E aliosque testes. -- LACHMANNUS vero et TISCHENDORFIUS cum ABCD, minusculis nonnullis, EUSEBIO et CHRYSOSTOMO, praeferunt λαβέτω. Qua

praelata lectione hocce vocabulum praegresso Imperativo ἔστω conformare voluisse videntur. Non sollicitanda igitur vulgata. -- THEOPHYLACTUS habet λάβῃ.

S. 21.

χρόιῳ. Codex D addit τῷ.

Ἐν ᾧ. Ita cum recepta STEPHANUS, GRIESBACHIUS et VATERUS, secuti C***E. Omittunt praepositionem LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS cum ABC*D**, plane dissentiente SCHOLZIO, qui praepositionem tuetur, ejusque ejectionem Alexandrinis objicit. In Codice D* occurrit ὡς; -- in d* *quoniam.*

Ἰησοῦς. D, versiones et AUGUSTINUS in fine perperam addunt χριστός.

S. 22.

Ἀνέληφθη. Hanc habent lectionem STEPHANUS, recepta et GRIESBACHIUS, item SCHOLZIUS auctoritate Codicis C etc. Praeferunt LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS cum A(B?)DE etc. ἀνέλημφθη. Quae praeferenda sit in talibus scriptura, videant acutiores.

Γενέσθαι σὺν ἡμῖν. Ita STEPHANUS, editio recepta, GRIESBACHIUS et SCHOLZIUS. Praeferunt, mutato verborum ordine, σὺν ἡμῖν γενέσθαι LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS cum Codd. ABCD, tribus minusculis, versione Vulgata, Armenica, CHRYSOSTOMO bis et AUGUSTINO. Quae lectio, cum melius testata sit ac paullo duriorem sonum habeat, praeferenda videtur. -- Unus minusculus ponit haec verba post μάρτυρα.

S. 23.

Ἔστησαν. Cod. Dd*, versio Arabica in Polyglottis et AUGUSTINUS habent ἔστησεν, quod jure reprobat CHRYSOSTOMUS.

Ἰωσήφ. Pro hac voce in B (apud Bartol.), duobus minusculis, versionibus Syriaca Philoxen. et Sahidica legitur Ἰωσήν.

Βαρσαβᾶν. Ita STEPHANUS, editio recepta, GRIESBACHIUS et SCHOLZIUS cum C et PAPIA apud EUSEBIUM. -- LACHMANNUS vero et TISCHENDORFIUS cum ABE, multis minusculis, versionibus Latina codicis Amiatini, Copt., Sahid., Syr. Philoxen., et EUSEBIO manuscr. Βαρσαββᾶν. --

Codex D, Toletanus et versio Aethiopica habent Βαρναβᾶν. Conf. Act. IV : 36.

Ματθίαν. Hîc et Sectione 26 Codex D habet Μαθθίαν.

S. 24.

Εἶπον. Pro hac voce, quam habent STEPHANUS, editio recepta et GRIESBACHIUS, LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS cum ABCD praeferunt εἶπαν. Lectio tamen vulgaris retinenda videtur. Justo cupidius enim non raro recentiores ejusmodi formas τῆς κοινῆς et alii testes inculcârunt, et Alexandrini imprimis.

Ὃν ἐξελέξω. Haec verba, quae in editione recepta in fine sectionis collocata reperiuntur, GRIESBACHIUS, SCHOLZIUS, LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS, Codices ABCDE h aliosque longe plurimos, versiones multas, EUSEBIUM aliosque secuti, continuo post vocabulum ἀνάδειξον collocârunt. Quam trajectionem et testium auctoritas commendat, et hinc exsistens sonorum *durities*, quae librariorum aures offendere solebat.

S. 25.

Τὸν κλῆρον. Ita, probante SCHOLZIO, editio recepta. GRIESBACHIUS vero lectionem τὸν τόπον non contemnit, eamque LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS in textum recipiunt cum ABC*D. - Versio Vulgata, Coptica, Sahidica, PROCOPIUS (diserte) et AUGUSTINUS exprimunt aut habent τόπον τόν. Lectio τόπον e posteriore Sectionis parte in textum inseri potuit; dum κλῆρον Sectione 17 commendari videtur.

Ἐξ, ante verba ἧς παρέβη, cum STEPHANO et editione recepta habet GRIESBACHIUS. LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS praeferunt ἀφ' cum ABCD, quinque minusculis et versione Coptica. -- Vulgata et e habent *de;* d et AUGUSTINUS *a;* -- versio Sahidica *in*. Vulgatam tuetur SCHOLZIUS. Sane durior syllabarum finalium concursus, in vocibus se invicem sequentibus ἀποστολῆς ἐξ ἧς, perversam lectionis mutationem parere potuit.

Τόπον τὸν ἴδιον. Codex C habet ἴδιον τόπον; -- A τόπον τὸν δίκαιον; -- unus minusculus τόπον αὐτοῦ. Nec vero ad sollicitandam lectionem sufficit auctoritas.

S. 26.

Αὐτῶν. Ita STEPHANUS, editio recepta, GRIESBACHIUS et SCHOLZIUS cum D*E etc. et CHRYSOSTOMO semel. Pro hoc vero genitivo *dativum* αὐτοῖς legunt LACHMANNUS et TISCHENDORFIUS cum ABCD**, 7 minusculis, Vulgata, Copt., Sahid., Slav., Aeth. et CHRYSOSTOMO semel. Quae vero varia lectio mihi ex dubitatione orta videtur de loci sententia. Neutrum habent pronomen versio Syriaca, Arabica Erpenii et AUGUSTINUS.

Ὁ κλῆρος. Codex D*male omittit articulum ὁ.

Συγκατεψηφίσθη. Hoc vocabulum in textu retinendum cum STEPHANO, editione recepta, GRIESBACHIO, LACHMANNO et TISCHENDORFIO. Codex D** habet συνεψηφίσθη; -- D*** συψηφίσθη.

Ἕνδεκα. Codex D habet δώδεκα (ιβ). Si melius testata esset, fortasse defendi posset haec lectio, quum saepius locutio usurpata reperiatur ad Apostolorum *Collegium* indicandum, quamquam non omnes adessent.

SECTIO POSTERIOR.

Loci Interpretatio.

Postquam Jesus e terra in coelestes sedes redierat, undecim Apostoli, jussis Domini lubenter obedientes, adorantes Eum ac laeto animo Hierosolyma se contulerunt, narrante Luca, Euang. XXIV: 52, ibique in domus alicujus, quo sese receperant, conclave (1) ingressi sunt, Act. I: 13. Hic deinceps, secum invicem arcte conjuncti,

(1) Ab hoc loco ac proposito meo alienum videtur, multis de quaestione disputare, utrum vox ὑπερῷον, S. 13, privatae alicujus domus partem, an vero templi conclave aliquod significet. Utriusque sententiae patronos laudat WETTIUS, *Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum N. Test.* ad hunc locum. *Posterius* qui statuunt, provocant ad Lucae Euang XXIV: 53 et Act. II: 46; qui vero loci non impedire videntur, quominus *priori* sententiae calculum adjiciamus. Fortasse eadem hic indicatur domus, monente WETTIO, quae Act. XII: 12 commemoratur.

manserunt, promissionis Spiritûs Sancti, a Domino iis datae, memores, atque assidue precibus vacantes. Apostolorum autem coetui, S. 14, sese cum alii comites dederant, et mulieres, quae Jesum e Galilaea secutae erant victumque Ei ministraverant, tum Maria mater Jesu, et fratres Ejus (1), qui tunc temporis Jesum Messiam agnovisse videntur. -- Quum autem aliquando, more solito, convenissent ad preces fundendas, ea facta sunt, quae Lucas tradit Sectt. 15-26. Ad cujus loci interpretationem nunc accedimus.

S. 15.

Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις ἀναστὰς Πέτρος ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν, εἶπεν· (ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν).

Hic quae narraturus est Lucas, satis indefinita ratione proxime praecedentibus annectit. Ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις, *iisdem illis diebus.* Spectat universe illud tempus, quod Jesu in

---

(1) Conf. doct. A. H. Blom, disput. theol. inaug. *de τοῖς ἀδελφοῖς et ταῖς ἀδελφαῖς τοῦ Κυρίου*, Lugd. Bat. 1839, imprimis pg. 16, 17.

coelum adscensionem inter et proximum Pentecostes festum interfuit. Saepius et alibi, monente Wettio, Lucas tempus non accurate definiendum curat. Conff. Euang. I: 39, VI: 12, XXIII: 7, XXIV: 18, Act. VI: 1, XI: 27. Atque idem Wettius ex eo, quod discipulorum numerus valde auctus dicatur, conjicit, ea, quae hic traduntur, aliquamdiu post ea facta esse, quorum narratio huic sectioni praecedit. Quod viro clar. lubenter concedo, dummodo tempus decem dierum, antea a me indicatum, intelligatur. Est autem h. l. formula plane Hebraïca, quae convenit cum בְּיָמִים הָאֵלֶּה (1).

Ἀναστὰς Πέτρος: *exsurgens, e sede sua sese erigens*, non sine gravitate quadam, qua omnes ad ea, quae dicturus erat, attentos redderet, consuetudinem Oratorum secutus (Conff. Matth. XXVI: 62, Act. XIII: 16, XV: 7, cet.), *Petrus*, hîc, ut saepius, omnium primus et omnium quasi nomine, verba facit. (Conff.

(1) Conff. quae de Act. Apost. stilo dictioneque, Hebraïco colore tincta, dixit Riehmius, in diss. antea laudata, pg. 154—159, ubi accurata Sectt. 15, 16 reperitur versio Hebraïca.

Matth. XVI: 16 cet., Act. II: 14-40, III: 12-26, cet., (1).)

Ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν, *in medio discipulorum*. Lectionem enim receptam ἀδελφῶν interpretamentum esse e Sect. 16 ductum, supra monuimus. Nec vero opus est, ut vocabulum μαθητῶν de *solis Apostolis* accipiamus; nam illa vox, monente BRETSCHNEIDERO, in *Lexico* hac voce, quum Jesu discipulorum numerus augeretur, de Ejus asseclis universe usurpabatur. Vid. Act. VI: 1, 2; XI: 26.

Postquam autem in eorum medio surrexerat Petrus, ea *dixit*, quae sequuntur Sect. 16 sqq. Antequam vero haec tradat Lucas, commemorat, quot fere tunc temporis adessent auditores.

Ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν. Vocabulum ὄνομα (de quo vid. BRETSCHNEIDERI *Lex.* in voce), ut Latinorum *nomen*, inservit periphrasi personae, sed sine emphasi. Ita, praeter hunc locum, occurrit pro *homine*, Num. XXVI: 53, κληρονομεῖν ἐξ ἀριθμοῦ ὀνομάτων; Apocal. III: 4, ἔχεις ὀνόματα ὀλίγα, ἃ οὐκ ἐμόλυναν; XI: 13, ὀνόματα ἀνθρώπων χιλιάδες

(1) Conf. RIEHMIUS l. l. pg. 128.

ἑπτά. Conff. et *Selecta e Scholis* VALCKENARII, edita a WASSENBERGHIO ad hunc locum, ubi haecce: „ὄχλος ὀνομάτων ponitur pro ὄχλος „ἀνθρώπων, more loquendi Hellenistico: neque „enim existimandum est Graecos sic unquam „fuisse loquutos, ut *turbam hominum* dixerint „*turbam nominum*. *Nomen* tamen *Romanum* „saepius pro *Romanis* ponitur, et *Thebanos* „AESCHINES dixit Orator τὸ Θηβαίων ὄνομα." Nonnulli tamen huic voci eam vim inesse arbitrantur, ut sensus sit: „aderant autem e „Jesu asseclis circa centum et viginti homines, „quorum nomina nota erant" (1). Cujus vero interpretationis argumenta satis idonea allata non vidi.

Ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν. Jesu sectatorum numerum eo tempore jam valde auctum fuisse, patet ex 1 Corinth. XV: 6. Praeter illos, quos Lucas Sectt. 13, 14 nominavit, adfuisse videntur nonnulli e 70 discipulis, Luc. X: 1; conf. Sect. 21. Ad 500 fratres autem quod attinet, quorum mentionem facit Paulus l. l., WIESELERUS (2)

---

(1) Inter alios PALMIUS *in Cod. S. versione* ad h. l.
(2) *Synops.* pg. 434.

putat, hos tunc in Galilaea fuisse. Inique autem BAURUS (1) contendit, Lucam in hujus rei commemoratione vitium commisisse. Eosdem hosce centum et viginti homines, quos nostro hoc loco memorat Lucas, congregatos invenimus Pentecostes festo, quo Spiritus Sanctus effundebatur, Act. II: 1.

Ἐπὶ τὸ αὐτό. Subintelligitur χωρίον vel οἴκημα, ita ut proprie significet: *in eodem loco*. Deinde etiam magis indefinite usurpatur, ut conveniat cum Hebraïco יַחְדָּו, quod, Ps. XXXVII: 38, LXX reddiderunt ἐπὶ τὸ αὐτό, SYMMACHUS ὁμοῦ. Ita quoque SUIDAS: ἐπὶ τὸ αὐτό· ἐπίῤῥημα: ὁμοῦ, *simul*, *una*. Et *Etymologicum Magnum*: ἐπὶ τὸ αὐτό: ἐπίῤῥημα συλλήψεως ἢ ἀθροίσεως, οἱονεὶ μοναδικόν· ἐκ τῆς ἐπὶ προθέσεως καὶ τῆς αὐτὸς ἀντωνυμίας. HESYCHIUS vero ἐπὶ τὸ αὐτό = ὁμοῦ, εἰς τὸν αὐτὸν τόπον. Prius memorata significatione hîc explicatur a BRETSCHNEIDERO in voce, uti et II: 1, 44; III: 1; IV: 26; 1 Corinth. XI: 20; XIV: 23; a KUINOELIO in *Commentar.* ad h. l. et WETTIO aliisque, qui nobis etiam sequendi videntur.

---

(1) In opere: *Paulus, der Apostel J. C., sein Leben und Wirken, u. s. w.* 1845, pg. 37.

S. 16.

Ἄνδρες ἀδελφοί, ἔδει πληρωθῆναι τὴν γραφὴν ταύτην, ἣν προεῖπε τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον διὰ στόματος Δαβὶδ, περὶ Ἰούδα τοῦ γενομένου ὁδηγοῦ τοῖς συλλαβοῦσι τὸν Ἰησοῦν.

Auditores humaniter compellat Petrus: Ἄνδρες ἀδελφοί, quod etiam occurrit II: 29, 37, alibi, uti et ἄνδρες Γαλιλαῖοι I: 11, ἄνδρες Ἰουδαῖοι II: 14, ἄνδρες Ἰσραηλῖται III: 12, V: 35, aeque atque apud oratores Graecos Ἄνδρες Ἀθηναῖοι. - Brevius dici potuisset: Ἀδελφοί, Γαλιλαῖοι, cet., sed majorem vim habet ac magis honorifica est plenior haec compellatio. Atque hîc Petri humanitas est conspicua, qua auditorum animos sibi devincire vellet. Conff. M. T. Vos Uyterlimmige, Specimen Acad. exhibens *annotationem in orationem Pauli Antiochenam*, Lugd. Bat. 1833, pg. 48, 78, et L. Proes, disput. theol. de *Oratione Antiochiae habita*, Traj. 1833, pg. 22.

Πληρωθῆναι: *impleri*, *eventum habere*. In Novi Testamenti scriptis hic verbi πληροῦσθαι usus multus est et fere solennis, ut idem sit, quod, annotante Valckenario, Graeci, oraculorum

complementum intelligentes, vulgo dicebant τέλος ἔχειν: *finem habere*, aut ἐκπεραίνεσθαι, id est: habere suum πέρας s. *terminum* et, Jonice ap. Herodotum, ἐπιτελέεσθαι; rarius ἐξελθεῖν vel ἐξήκειν.

Τὴν γραφὴν ταύτην. Petrus cum in orationibus, tum in scriptis suis quam saepissime locos V. F. suos in usus convertere solet; eosque, „ quos „ copiosius laudat et disertius, *aut* ex memoria, „ ut fit, aliquantulum submutat, Act. I: 20, „ II: 17-21, cet.; *aut* allegat ad τοὺς ὁ, etiam „ ubi hi a textu hebraïco aliquatenus recedunt, „ Act. II: 25, cet., *aut* denique ad ipsum „ textum hebraeum, Act. I: 20, II: 27, 35, „ cet." (1). Ceterum eadem fere, quae hoc loco, citandi formula reperitur etiam Luc. IV: 21, ubi legimus: ὅτι σήμερον πεπλήρωται ἡ γραφὴ αὕτη ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν: *hodie hocce oraculum vobis audientibus eventum habet.* -- Eckermanus (2), docente Kuinoelio, putat Petrum hoc loco respexisse ad Ps. XLI: 9, 10, quem locum Jesus Ipse in *Judam* transtulerit Joan. XIII: 18. -- Recte vero monet Kuinoelius, huic

---

(1) Verba sunt Riehmii, l. l. pg. 132.

(2) *Theol. Beiträg.*, II, 91.

conjecturae verborum ordinem obstare, et nullum in hac oratione indicium deprehendi, e quo pateat, Petri menti illum quoque locum obversatum esse. Vulgaris igitur praeferenda est sententia, Petrum spectasse Ps. LXIX : 26 et CIX : 8.

Ἣν προεῖπε τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον. Alibi quoque effata τῆς γραφῆς Deo Ejusque Spiritui tribuuntur; veluti Act. III : 18, 21, IV : 25, XXVIII : 25, 2 Petr. I : 21, quo postremo loco Prophetae locuti dicuntur : φερόμενοι ὑπὸ τοῦ Πνεύματος Ἁγίου.

Διὰ στόματος Δαβίδ: *per Davidem.* Vocabulum enim στόμα hoc loco fere redundat; sed magis graphice tamen *loquentem* informat. VALCKENARIUS ad hunc locum : „ Poëtae dicuntur » nonnunquam os esse Musarum; non vero di» cuntur Musae loquutae, vel hoc illudve dixisse » διὰ στόματος hujus illiusve poëtae." Est autem formula prorsus Hebraïca : διὰ στόματος = בְּפִי. Ita etiam de *factis* διὰ χειρῶν = בְּיַד, Act. V : 12.

Περὶ Ἰούδα τοῦ γενομένου ὁδηγοῦ τοῖς συλλαβοῦσι τὸν Ἰησοῦν, *quod attinet ad Judam, qui viae dux factus est eorum, qui Jesum prehende-*

runt. Vid. Matth. XXVI : 14-16, 47-50.

Locos vero, quos citat ex libro Psalmorum, Petrus non prophetias stricte sic dictas habuisse videtur, sed ideo eos in suum accommodasse usum, ut appareret, quae Davides olim suis de inimicis dixerat, ea etiam in Judam, Domini proditorem, convenire.

S. 17.

Ὅτι κατηριθμημένος ἦν ἐν ἡμῖν, καὶ ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης.

Ὅτι. *Nam* vertendum est cum BRETSCHNEIDERO, WETTIO, HEINRICHSIO (N. T. ed. a KOPPIO), et MEYERO (1). Minus enim recte KUINOELIUS vertit *quamquam.* Petrus hac sectione rationem affert, cur γραφὴ πληρωθῆναι dici possit περὶ Ἰούδα, atque imprimis spectat posteriorem locum, Sect. 20 laudatum.

Κατηριθμημένος ἦν ἐν ἡμῖν: *annumeratus erat nobis.* Vocabulum καταριθμέομαι nusquam alibi in N. T. scriptis reperitur. Occurrit autem 2 Paralipp. XXXI : 19, παντὶ καταριθμουμένῳ ἐν

(1) *Krit.-exeg. Comment. über das N. T.* ad h. l.

Λευίταις, ubi construitur cum praepositione ἐν, quam nostro etiam hoc loco lectioni σύν praeferendam esse supra monuimus, praesertim quum haec praepositio ἐν in optimis legatur codicibus. Nec vero huic sententiae obstat, quod verbum cum praepos. σύν compositum συγκαταριθμεῖν a posterioribus scriptoribus Christianis adhibitum est. Sic Eusebius *Hist. Eccles.* VII: 30, τὸ γοῦν φρόνημα καθόλικον ἔχοντα, καὶ συγκαταριθμούμενον ἡμῖν, et *Vita Constantini*, II: 30, εἴ τέ τινες βουλευτικοῖς συγκατηριθμήθησαν καταλόγοις. Clemens Alexandr. Strom. V, pag. m. 403, A: ὁ Ἐμπεδοκλῆς, ἐν ταῖς ἀρχαῖς καὶ φιλότητα συγκαταριθμεῖται, συγκριτικήν τινα ἀγάπην νοῶν; et Strom. VI, pag. m. 492, D: τὴν ὑγδοάδα κύβον καλοῦσι, μετὰ τῶν ἑπτὰ πλανωμένων τὴν ἀπλανῆ συγκαταριθμοῦντες σφαῖραν· κ.τ.λ.

Καὶ ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης. Valckenarius ad Luc. XXIII: 34 discrimen vocabulorum κληροῦν, κληροῦσθαι et λαγχάνειν hoc statuit, ut „ dicantur κληροῦν, *qui sortitioni* „ *praesunt*, κληροῦσθαι, *qui ipsi sortiuntur inter* „ *se* et λαγχάνειν *is* dicatur, *quem sors tangit* „ sive *cujus nomen sorte excidit.*" Hesychius habet λαχόντα· τυχόντα. Recte annotat Bret-

SCHNEIDERUS in voce κλῆρος, primum eam significare *sortem*, secundo *id, quod sorte tribuitur* sive *partem*, et bene vertit nostro loco κλῆρον τῆς διακονίας λαγχάνειν: *participem esse muneris.* Est igitur κλῆρος τῆς διακονίας ταύτης copiosior periphrasis pro διακονία αὐτή.

Διακονία: *ministerium quodcumque;* deinde: *ministerium ejus, qui divini doctoris officio fungitur.* Maxime de *Apostolorum* dicitur *ministerio.* Vidd. Act. I: 25, XX: 24, Rom. XI: 13, alibi.

Ταύτης. *Ipsum illud ministerium, quo et nos perfungimur.* Spectat autem Petrus Matth. X: 2-4 et locos, quibus Judas una cum ceteris Apostolis una serie appellatur.

S. 18.

Οὗτος μὲν οὖν ἐκτήσατο χωρίον ἐκ τοῦ μισθοῦ τῆς ἀδικίας· καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος· καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ.

Varii variorum interpretum fuerunt conatus ea, quae hîc de Judae morte a *Luca* traduntur, cum iis, quae de eadem re occurrunt

apud *Matthaeum*, XXVII: 5, in concordiam redigendi. Diversarum autem opinionum conspectum dedit KUINOELIUS ad locum Matthaei, qui etiam acerrimam attingit litem *Perizonium* inter et *Gronovium*, patrum aetate, tristi hac de historia actam. Cum ipso, ad Matthaei locum l., ibidem conferatur J. C. WOLFIUS, *in Curis Philol.* Tradit enim Matthaeus: „Judas, postquam nummos argenteos in templo „projecerat, abiit καὶ ἀπήγξατο." Lucam vero miserrimum, quem habuit Judas, vitae finem hac ipsa sectione describentem audivimus.

Quaeritur igitur de significatione vocabuli ἀπήγξατο. Est autem, monente BRETSCHNEIDERO in voce, ἀπάγχειν *fauces constringere*, ἀπάγχεσθαι *se suspendere*. Conf. 2 Sam. XVII: 23, ubi LXX vocem יִתָּנַק, verterunt ἀπήγξατο; pro quo FLAVIUS JOSEPHUS, *Ant. Jud.* VII: 9, habet ἀνήρτησεν αὑτόν; -- SUIDAS ἀπήγξατο· βρόχον ἧψεν. E quibus patet vocabulum ἀπήγξατο vertendum esse: *laqueo suspendit se.*

Nostro autem loco dicitur Judas πρηνὴς γενόμενος, *pronus in faciem lapsus;* qua dicendi formula etiam utitur FLAVIUS JOSEPHUS, *de*

bello Jud. VI : 1, 6. Neque aliter HESYCHIUS πρηνὴς· ἐπὶ πρόσωπον πεπτωκώς.

Ἐλάκησε μέσος: *medius disruptus est.* Ἐλάκησε est aor. 1 verbi λάσκω, monentibus BRETSCHNEIDERO in voce et WINERO (1).

Καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ: *et omnia ejus viscera effusa sunt.* Ad quae verba sponte in memoriam nobis recurrit *Homeri* dictum, *Iliad.* Δ, 525 sq.

— — — ἐκ δ' ἀρὰ πᾶσαι
χύντο χαμαὶ χολάδες — — —

Rem igitur, collatâ utrâque narratione, ita nobis proponamus: „ Judam, quem optimi Domini ac Magistri proditionis valde poeniteret, „ vehementissimo abreptum angore ad populi „ Judaici magnates eo rediisse consilio, ut iis „ nummos argenteos, sceleris mercedem, redderet; -- eum autem, quum eos accipere recusarent, animo desperato in locum desertum „ se contulisse, ibique laqueo se suspendisse; -- „ laqueum vero, quo miserrimae vitae finem „ imponere constituerat, vel corporis gravitate, „ vel alia quacunque causa, disruptum, atque

(1) L. l. pg. 99.

» eum ita ex altiore loco praecipitem factum » fuisse, ejusque corpus, saxis allisum, ita » fuisse dilaceratum, ut Judae viscera effun- » derentur." Uterque igitur, et Matthaeus et Lucas, partem aliquam historiae de Judae nece commemorasse, atque alter alterum supplere censendus est.

Hujus interpretationis multi sese prodiderunt patronos, tum inter antiquiores, tum inter recentiores; veluti GRONOVIUS, in *Exercitt. Acad. de pernicie et casu Judae* τοῦ προδότου, Lugd. Bat. 1683, et in *hujus opusculi defensione*, edita Lugd. Bat. 1702; WOLFIUS in *Curis* ad locum Matthaei XXVII : 5; -- porro qui laudantur a WETTIO ad h. l.; -- quibus addantur doct. VAN OOSTERZEE in *Comment. laud.* pg. 484-491, et clar. H. E. VINKE (1).

Mea igitur hoc de loco sententia ita exposita, aliorum interpretationes cum commemorare, tum,

(1) In opere Praeceptoris aestumatissimi, cui titulus: *het N. Test. met opheldernde en toepasselijke aanmerkingen*, ad locum cum Matthaei, tum Lucae.

quoad possim, refutare vellem, nisi vererer, ne hoc agendo nimis longe a consilio discedere cogerer. Liceat igitur lectorem ad eos dimittere, qui copiosius hac de re disputarunt, veluti KUINOELIUM ad Matth. XXVII: 5, WETTIUM ad Act. I: 18 et OOSTERZÉUM l. l. Ex quorum collatione patet, fuisse, qui vocabulis ἀπήγξατο et πρηνὴς γενόμενος minus usitatam tribuerent significationem, ut ita discrimen inter Matthaei et Lucae relationes tolleretur; ERASMUM, BEZAM, GROTIUM, PERIZONIUM, in dissert. *de morte Judae et verbo ἀπάγχεσθαι*, Lugd. Bat. 1702, HEINSIUM et PALMIUM, in *Cod. S. Versione.* -- Addendum tamen alios statuisse, locos Matthaei et Lucae in concordiam redigi non posse, adeoque duplicem de Judae morte exstitisse traditionem. Ex cujus sententiae patronis satis erit nominavisse SALMASIUM, *Anonymum* in SCHMIDTII bibliotheca, HEINRICHSIUM l. l., SCHLEIERMACHERUM, HASIUM, STRAUSSIUM et WETTIUM.

Quae priore hujus sectionis parte reperiuntur, non sine consilio post ea, quae parte ejus posteriore continentur, explicanda existimavi,

utpote arctius cum Sect. 19 cohaerentia. Legimus autem Sect. 18ª: Οὗτος μὲν οὖν κ.τ.λ.

Ἐκτήσατο. Variae de hac voce interpretum sunt sententiae. Alii, quos laudat WETTIUS, quibus addantur J. CLARISSE (1) et PALMIUS, vertunt aut explicant: *occasionem praebuit emendi*; WETTIUS: *emit sibi*, qui et hîc aliam reperiri traditionem, quam apud Matthaeum, statuit. Alii, praëeunte GROTIO, ut doct. OOSTERZÉUS et cl. VINKIUS: *acquisivit sibi agrum tanquam monumentum sceleris sui*, quibuscum omnino faciendum esse credo. Verbum enim κτάομαι, recte monente *illo*, nusquam ita occurrit, ut significet: *acquirere aliquid alii*, sine illo alio memorato; sed potius significat *acquiro mihi*, in praeterito κέκτημαι, proprie *acquisivi mihi*, i. e. *possideo*.

Verum quidem est non ipsum Judam hunc agrum sibi procurâsse, sed, collatis Matth. XXVII: 3-10, ita rem nobis informemus: » populi Judaici proceres nummos, a Juda red-

(1) In opere: *Gedenkwaardigheden uit het openbaar leven van sommige Apostelen*, Lugd. Bat. 1825, ed. 2, ad h. l.

„ ditos, in γαζοφυλάκιον deponere nolentes, eos
„ cum in usum adhibuerunt, ut agrum emerent,
„ in quo in posterum peregrini sepelirentur,
„ qui, Hierosolymis festa agentes, ibi forte
„ morerentur. Hoc autem facere non potuissent,
„ nisi Judas scelus horrendum perpetrasset.
„ Quod vero illi fecerunt, illud causa fuit, ut
„ sceleri Judae monumentum erigeretur, quod
„ posteros quasi alloqueretur: „ „ En! mercedem,
„ „ quam Judas, optimi Domini proditione,
„ „ sibi meruit!" "

Χωρίον. Cum plerisque interpretibus vertendum *ager*, non vero *locus*, *quantum habet defunctus in terra*, uti HEINSIUS suasit.

Ἐκ τοῦ μισθοῦ τῆς ἀδικίας: *mercede injustitiae*, i. e: *mercede, quam sibi injusto suo facto acquisivit.* Conff. H. VITRINGAE, C. FIL., *Animadversiones ad* JOH. VORSTII *Philologiam Sacram*, Franeq. 1707, Cap. III. -- Vid. et 2 Petr. II: 13, 15. -- Praepositio ἐκ, ut saepe, *de pretio, quo quid emitur.* Conff. Matth. XX: 2 coll 13, XXVII: 7 et Luc. XVI: 9.

S. 19.

Καὶ γνωστὸν ἐγένετο πᾶσι τοῖς κατοικοῦσιν Ἰερουσαλὴμ, ὥστε κληθῆναι τὸ χωρίον ἐκεῖνο τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν Ἀκελδαμὰ, τουτέστι, χωρίον αἵματος.

Καὶ γνωστὸν ἐγένετο πᾶσι τοῖς κατοικοῦσιν Ἰερουσαλήμ: *et innotuit omnibus Hierosolymae incolis*, scilicet populi Judaici magnates triginta nummos argenteos impendisse ad emendum agrum figuli.

Ὥστε κληθῆναι -- αὐτῶν: *ita ut ager ille vocatus sit propria eorum dialecto.* Dialectus illa erat *Aramaea* sive *Syro-Chaldaica*, qua Palaestinae incolae tunc temporis utebantur.

Αὐτῶν. Minus recte WETTIUS hoc loco provocat ad WINERUM, l. l. § 22, III, 1. -- Luc. IV: 15 enim et locis, a WINERO allatis, alia constructio obtinere mihi videtur, quam hîc, ubi subjectum pronominis αὐτῶν revera adest, scil: οἱ κατοικοῦντες.

Ἀκελδαμά: חֲקַל דְּמָא, τουτέστι χωρίον αἵματος (Matth. XXVII: 8 ἀγρὸς αἵματος): *ager sanguinis*, quia pretio sanguinis, proditionis mercede, emtus erat. Lucae vocabuli Syro-Chaldaici

interpretatio, Theophili causa; adjicienda videbatur.

Exposito igitur harum duarum sectionum sensu, pauca dicenda videntur de quaestione, utrum *Petro* dicenti, an vero *Lucae* narranti tribuendae sint. Quae sectt. 18 et 19 leguntur, *Petro* tribuuntur a doct. Oosterzéo, *Comment. laud.* pg. 490 in nota. Estius vero, *Annott. in Acta App.*, Kuinoelius et Palmius sectionem 18 *Petro* tribuunt, -- sectionem 19 *Lucae*. Rosenmullerus autem, Heinrichsius, Olshausenius, de Meyier, *dissert. laud.* pg. 24, et Riehmius, *dissert. laud.* pgg. 114, 115, integras sectiones 18 et 19 *Lucae* tribuendas esse arbitrantur; cui postremae sententiae omnino subscribendum esse mihi persuasum est; imprimis ob ea, quae affert Riehmius, l. l. pg. 114, et, quae citat, verba Heinrichsii, pg. 115: „ Lucas in Euangelio de Judae morte „ nil memoraverat, adeoque monendus de ea „ erat Theophilus, qui aliter non perspexisset, „ quem in finem haec loquutus sit, aliumque „ Apostolum suffecerit Petrus; itaque paucis „ repetit omissa. Jam autem perspicuum fit,

» quomodo V. T. locus, jam V. 16 a Petro » annunciatus, V. 20 demum proferatur, quod » alias contra morem prorsus fieret."

S. 20.

Γέγραπται γὰρ ἐν βίβλῳ ψαλμῶν· Γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτοῦ ἔρημος, καὶ μὴ ἔστω ὁ κατοικῶν ἐν αὐτῇ. Καὶ τὴν ἐπισκοπὴν λάβοι ἕτερος.

Afferuntur hîc loci psalmorum, quos spectaverat Petrus sect. 16, monens: ἔδει πληρωθῆναι τὴν γραφὴν ταύτην (1).

Γέγραπται γάρ: *scriptum enim est.* Ratio affertur, cur hi loci ad *Judam* referri possint, propter ea nempe, quae Lucas sectt. 18 et 19 de ejus morte dixerat.

Ἐν βίβλῳ ψαλμῶν. Alibi etiam (Luc. XX: 42) psalmi tanquam unum volumen laudantur

(1) Liceat mihi, hac opportunitate, commemorare quae, de utriusque Psalmi auctore, argumento ac consilio, commentavit optimus meus Pater, cum in opere, cui titulus: *Bijbelsch Huisboek*, T. IV, pg. 206—208, et pg. 257, 258, — tum in disputatione *de Davidis historia cum ejusdem carminibus comparata*, quae a *Societate Hagana* edita est *suis in operibus*, 1827, pg. 89, 90.

Conf. WOLFIUS in *Curis* ad h. l., qui annotat: „Ita Judaei etiamnum סֵפֶר תְּהִלִּים, „i. e. *librum psalmorum* memorant, ubi ejus „auctoritate utuntur." -- Petrus, hos locos e memoria citans, non indicat, eos in diversis reperiri psalmis; non opus igitur est, ut cum GRIESBACHIO post posterius καὶ *colon* ponatur. -- Sed videamus de ipsis locis.

Γενηθήτω ἡ ἔπαυλις -- ἐν αὐτῇ. Citat hunc locum Petrus, suum in usum paululum mutatum, e Ps. LXIX: 26. Quem locum ita reddiderunt LXX: Γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτῶν ἠρημωμένη, καὶ ἐν τοῖς σκηνώμασιν αὐτῶν μὴ ἔσω ὁ κατοικῶν. -- Ἔπαυλις, quo vocabulum Hebraicum טִירָה verterunt LXX, praeter nostrum locum nusquam alibi in N. T. reperitur. Proprie significat: *domum pastoritiam cum stabulo*, deinde vero etiam de *castello* et *domicilio quocunque* adhiberi solet. HESYCHIUS: ἔπαυλις· μάνδρα βοῶν, ἢ οἴκημα, ἢ αὐλή, ἢ στρατοπεδία, καὶ ἡ ποιμενικὴ αὐλή, et *Scholiastes* ad APOLLONIUM RHODIUM, I: 800, ἐπαύλεις καταχρηστικῶς τὰς οἰκίας. Quos laudarunt etiam VALCKENARIUS et KUINOELIUS. Sensus igitur hujus loci est: *Domus ejus deserta sit, et nemo habitet in ea.*

His autem verbis Davides in psalmo inimicis suis mala imprecatur, quum in maximas ab iis adductus esset angustias. *Proprie* tamen hoc loco ea verba accipi non posse statuit ac contra ECKERMANUM defendit KUINOELIUS, dicta laudans MORI. Universe ea citâsse videtur Petrus, interitum miserrimum Judae spectans, qui, modo Apostolis annumeratus, jam ab Apostolica dignitate defecerat ac miserrimo modo perierat.

Alter locus, quem citat Petrus, est e Ps. CIX: 8, ubi Hebraïca פְּקֻדָּתוֹ יִקַּח אַחֵר, ad litteram expresserunt LXX: τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λάβοι ἕτερος.

פְּקֻדָּה et respondens ei ἐπισκοπή significat *quamcunque praefecturam*, *quodcunque munus*. Nostro autem loco, ubi de munere adhibetur apostolico, convenit cum voce διακονία sect. 17, et pleniore cum locutione διακονία καὶ ἀποστολή, sect. 25.

Ἕτερος: *alter*. VALCKENARIUS ad h. l. animadvertit, semper adhiberi vocabulum ἕτερος, ubi de *duobus*, ἄλλος, ubi de *pluribus* sermo est.

Davides in psalmo laudato magnopere invehi-

tur in inimicos, speciatim in Doëgum, Sauli gregibus praepositum, cujus munus ut in alium conferatur optat. -- Petrus autem hisce verbis utitur, ut illos, ad quos loquebatur, excitaret ad ea peragenda, quae sectt. 21 et 22 suasurus erat. Ceterum conf. de consuetudine Petri suis orationibus V. F. locos inserendi, A. H. Niemeijer (1).

Ss. 21 et 22.

Δεῖ οὖν τῶν συνελθόντων ἡμῖν ἀνδρῶν ἕν παντὶ χρόνῳ, ἐν ᾧ εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς ὁ Κύριος Ἰησοῦς, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου ἕως τῆς ἡμέρας ἧς ἀνελήφθη ἀφ' ἡμῶν, μάρτυρα τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ γενέσθαι σὺν ἡμῖν ἕνα τούτων.

Quod ad verborum constructionem attinet: τούτων in fine sectionis 22 pespicuitatis causa additum est et respicit ad τῶν συνελθόντων ἀνδρῶν. Ordo verborum igitur hicce: δεῖ οὖν μάρτυρα τῆς ἀναστάσεως τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ σὺν ἡμῖν γενέσθαι ἕνα τῶν

---

(1) In opere: *de Charakterkunde van den Bijbel*, Amst. 1783, V, pgg. 572—574.

ἀνδρῶν συνελθόντων ἡμῖν ἐν παντὶ χρόνῳ, ἐν ᾧ αὐτὸς εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς, ἀρξάμενος κ.τ.λ. Conf. VALCKENARIUS ad h. l.

Δεῖ. Persuasissimum sibi habet Petrus eam rem, quam peragendam sibi proposuit, Domino suo gratam fore, Ejusque voluntati congruam. Duodecim enim Apostolos elegerat Magister; at horum unus e munere hocce exciderat; oportere igitur existimat, eorum numerum a Jesu constitutum, alio coöptando Apostolo suppleri. -- Cuinam vero hic deferendus est honor? Tali alicui Jesu discipulo, qui cum Eo, quamdiu publico Prophetae munere fungebatur, conversatus erat. Quod sequentia docent.

Μάρτυρα τῆς ἀναστάσεως τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ σὺν ἡμῖν γενέσθαι: *testem fieri nobiscum resurrectionis Domini Jesu.* Saepius et Jesus Apostolos *testes* Sui Ipsius Suorumque factorum dixerat (Conff. Joan. XV: 27. Act. I: 8), et Petrus ipse se suosque condiscipulos Jesu testes nuncupavit (Vidd. Act. II: 32, V: 32). Cur autem *resurrectionis* potissimum testes vocantur? „ Quum „ scilicet Apostoli Jesu resurrectionem ubique „ tanquam primum doctrinae Christianae caput „ proponere soleant, quippe in qua luculentis-

„ simum divinae Ejus legationis documentum „ cernatur (1)." Conff. Act. II: 24, III: 15, 26, V: 30, X: 40; -- imprimis 1 Cor. XV passim. Spectat autem Petrus universa fata factaque Jesu, quorum omnium praecipuum reputat Christi in vitam reditum.

Σὺν ἡμῖν. Se ceterosque decem Apostolos indicat, qui ab initio cum Domino versati erant; conf. Joan. XV: 27.

Ἕνα τῶν συνελθόντων ἡμῖν ἀνδρῶν κ.τ.λ. - Συνέρχομαί τινι, monente BRETSCHNEIDERO in voce, hîc, ut Act. IX: 39, X: 23, 45, XI: 12, XV: 38, Luc. XXIII: 55, est *comitor aliquem*. Petrus ergo dicit: sit ille unus ex iis, qui per omne tempus, per quod Jesus intravit ad nos et exiit a nobis, nos comitati sunt. Indicantur hoc loco sine dubio imprimis *septuaginta discipuli*, de quibus Luc. X.

Εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς. Plene scribendum foret: εἰσῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐξῆλθεν ἀφ' ἡμῶν. Conf. WINERUS, l. l. § 66, III, h. Ejusmodi breviloquentiae exemplum reperitur apud EURIPIDEM, Phoeniss. 536:

---

(1) Verba fere sunt KUINOELII ad h. l.

— — — — ἐς οἴκους

Εἰσῆλθε, καἰξῆλθ' — — — —

Adde S. Macarium, *de elevatione mentis*, cap. XIII: — — — υἱοθεσίας αὐτῷ συμμύσται τῷ βασιλεῖ (sic leg.) γενόμενοι, εἰσίεναι καὶ ἐξίεναι πρὸς τὸν πατέρα κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς ἔχοντες. Conf. etiam Joan. I: 52 τοὺς ἀγγέλους τοῦ Θεοῦ ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. - Prorsus respondet formulae Hebraicae בּוֹא וְיָצֵא, obviae Deuter. XXVIII: 19, XXXI: 2 et Ps. CXXI: 8.

Occurrit autem haec phrasis duplici sensu, scilicet: Act. IX: 28 εἰσπορευόμενος καὶ ἐκπορευόμενος de *conversatione familiari*, et Zachar. VIII: 10 לַיּוֹצֵא וְלַבּוֹא אֵין שָׁלוֹם, ubi LXX: τῷ ἐκπορευομένῳ καὶ τῷ εἰσπορευομένῳ οὐκ ἔσται εἰρήνη, quorum verborum sensus: *publicum munus exercenti nullam fore prosperitatem.* Sed utcunque aliis de locis, alio in contextu positis statuatur, -- nostro hoc loco significatur: *omne tempus, per quod Jesus familiariter nobiscum versatus est.* Quae sententia iis, quae sequuntur, commendari videtur.

Ἀρξάμενος — ἕως, formula est vulgaris, qua utuntur Graeci ad alicujus temporis terminos

indicandos. Hîc per eam tota Jesu vita publica significatur.

Ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου. Varie haec explicuerunt interpretes. PALMIUS: *Joanne adhuc baptizante;* KUINOELIUS: *ex quo a Johanne Jesus baptizatus fuit;* HEINRICHSIUS et WETTIUS: *ex quo Joannes baptismum annunciaverat atque administraverat*, i. e.: *baptizare desierat.* Putat quidem WETTIUS, sua ex interpretatione, discrimen obtinere inter relationes Synopticorum et Joannis. Sed nec deëst narrationes componendi via, et ipse Petrus hanc confirmare videtur interpretationem, ubi in oratione ad *Cornelium*, Act. X: 37, Messiae historiam breviter enarrans, publici Ejus muneris initium fuisse μετὰ τὸ βάπτισμα ὃ ἐκήρυξεν Ἰωάννης statuit. Quapropter HEINRICHSII et WETTII sententiae subscribendum esse puto.

Ἕως τῆς ἡμέρας ἧς ἀνελήφθη ἀφ' ἡμῶν. Ἡμέρας ἧς pro ἡμέρας ᾗ per attractionem scriptum esse notum est. Ἀνελήφθη scil. εἰς τὸν οὐρανόν. Jesu adscensionem in coelum commemorans Petrus (Conff. Luc. XXIV: 50, 51 et Act. I: 9), alterum terrestris Christi vitae et publici muneris terminum indicat.

Hoc igitur postulat Petrus, ut ille, qui Apostolis undecim aggregaretur, testis esse posset fatorum factorumque Jesu, non eorum tantum, quae cruentam Ejus mortem antecesserant, sed eorum etiam, quae illius temporis erant, quo Ipse, post reditum in vitam, Apostolis et amicis suis sese manifestaverat, atque iis τὰ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ annunciaverat.

S. 23.

Καὶ ἔστησαν δύο, Ἰωσὴφ τὸν καλούμενον Βαρσαβᾶν, ὃς ἐπεκλήθη Ἰοῦστος, καὶ Ματθίαν.

Omnibus igitur, qui praesentes aderant, re deliberata, Petro consentientibus, ejusque consilium probantibus, ἔστησαν, ut Act. VI: 6, *adstare jusserunt* δύο, Ἰωσὴφ τὸν καλούμενον Βαρσαβᾶν, ὃς ἐπεκλήθη Ἰοῦστος. Quaeritur, utrum ille *Josephus*, cognominatus *Barsabas*, idem fuerit qui *Barnabas*, de quo Act. IV: 36. Qua de quaestione ex professo egit doct. G. H. Haverkorn van Rijsewijk, in dissert. hist.-theol. *de Barnaba*, Arnh. 1835, cujus ajentem sententiam, in quam et mihi eundum videtur, paucis hîc commemorare sufficiat.

Lectionem vulgatam utroque loco retineri posse statuit, pg. 13. Deinde, pgg. 13-15, nomen Ἰωσήφ, quod nostro loco, et Ἰωσῆς, quod Act. IV: 36 reperitur, idem esse potuisse docet. Varias porro significationes syllabarum ναβας et σαβας, cum Hebraeo בר compositarum, quas statuerunt interpretes, memorans, sibi videri dicit, nomen Βαρναβᾶς, quod Graece a Luca exponitur υἱὸς παρακλήσεως, loco l. significare: *hominem, qui aliis, in rebus afflictis, benignitate sua solatium affert*, illudque ab Apostolis, leviter commutatum, ob eam illi tributum esse liberalitatem, quam narrat Lucas Cap. IV: 37. Tum putat idem, Βαρσαβᾶς, ut nomen proprium, simpliciter esse *filium Sabae*. Et quod attinet ad cognomen Ἰοῦστος, GROTIO assentit, *Josephum* hoc nomen a Romanis accepisse ob morum integritatem, statuenti. Tandem, refutata illorum sententia, qui duos significari diversos homines putant, graves affert rationes, quae suadeant, ut eundem habeamus *Barnabam* et *Barsabam*. Quibus rationibus mihi certe suam probâsse sententiam Virum doct. profiteor.

Alterius nomen Ματθίας, Hebraice מַתִּתְיָה vel

מַתִּתְיָה, contractum est ex Ματταθίας, quod reperitur Luc. III: 25, 26, et compendiariâ formâ sect. 24 Ματθάτ. (Vid. Joh. Simonis *Onomasticon N. T. et libr. Apocr. V. T.* pgg. 107, 108). Nusquam alibi in N. T. scriptis hujus viri mentio fit.

Ss. 24 et 25.

Καὶ προσευξάμενοι εἶπον· Σὺ Κύριε Καρδιογνῶστα πάντων, ἀνάδειξον ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα ὃν ἐξελέξω, λαβεῖν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης καὶ ἀποστολῆς, ἐξ ἧς παρέβη Ἰούδας, πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον.

Καὶ προσευξάμενοι εἶπον. Recte monet Wettius, participii aoristum hoc loco non indicare actionem praeteritam, sed eam ipsam, quae verbo finito εἶπον significatur, aliter tantummodo propositam. Vertendum: *preces fundentes dixerunt*. Conf. Act. XVIII: 27. *Petrum* hîc sodalibus precando praeiisse verisimillimum est. Quod jam animadvertisse video doct. Proes, l. l. pg. 50 in notâ; cujus haec etiam est annotatio: „ Petrus „ (sect. 16 sqq.) illud consilium dederat fidei „ sociis; quod cum his placuisset, precibus

„ illis enuntiandis opportunitatem dedit." Atque ibidem rationes affert Vir doct., cur Christiani lubenter *Petri* voce ac ductu hac in re usi sint.

Σύ cum emphasi dicitur. *Tibi* rem tanti momenti commendamus; *nostrum* enim ejusmodi de re judicium falli potest.

Κύριε Καρδιογνῶστα πάντων: *Domine, qui animos perscrutaris omnium hominum.* Respondet vocabulum καρδιογνώστης Hebraïco: חֹקֵר לֵב, Jerem. XVII: 10, ubi LXX ἑτάζων καρδίας.

Quaeritur, utrum haecce compellatio ad *Deum*, an vero ad *Christum* sit referenda. Prioris sententiae patroni imprimis provocant ad Act. XV: 8, ubi *Deus* καρδιογνώστης dicitur, et ad illos locos, quibus Paulus se Apostolum creatum esse dicit διὰ θελήματος Θεοῦ (2 Cor. I: 1, Eph. I: 1, 2 Timoth. I: 1). -- Attamen praeferenda videtur sententia, qua Petrus *Christum* ut καρδιογνώστην allocutus esse statuitur. *Primum* enim, etsi *Deum*, Act. XV: 8, καρδιογνώστην dici appareat, hinc tamen sequi, ut hoc vocabulum de *Christo* adhiberi nequeat, negamus. -- *Deinde*, locis laudatis, quibus Paulus se a *Deo* Apostolum creatum esse dicit, alios opponimus,

quibus a *Christo* et Paulum, Gal. I: 1, et alios Apostolos electos esse legimus, veluti Matth. IV: 18-22. -- *Porro*, nonne Ille, qui, quum hisce in terris degebat, abditissima quaeque comperta sibi atque cognita habebat (conff. Joan. I: 49, II: 25, IV: 17, 18; alibi), post adscensionem in coelum majore etiam jure nullius rei nescius esse censendus erat? -- *Tandem*, -- quod argumentum arctissime conjunctum est cum proxime praecedenti, -- mirum sane non est, *Petrum* Dominum suum tanquam καρδιογνώστην allocutum esse, qui aliquando ad quaestionem, ter repetitam, utrum Christum revera diligeret, responderat: „Κύριε, Σὺ πάντα „οἶδας· Σὺ γινώσκεις ὅτι φιλῶ Σε."

Ἀνάδειξον: *ostende*, hinc *palam significa*, unde, WETTIUM si audis, Luc. X: 1 significationem *eligendi* habet verbum.

Ὃν ἐξελέξω ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα: *unum illum, quem ex hisce duobus elegisti.* Ἕνα ὃν pro τοῦτον ἕνα, ὅν. Conf. WINERUS, pg. 183. -- Eodem verbo ἐκλέγεσθαι *de Apostolorum electione* Christus utitur, Joan. XV: 16.

Λαβεῖν τὸν κλῆρον. Κλῆρος ut sect. 17 h. l. dicitur.

Τῆς διακονίας ταύτης καὶ ἀποστολῆς: per ἓν διὰ δυοῖν positum pro τῆς διακονίας ταύτης ἀποστολικῆς. Sensus igitur est: *ut particeps fiat hujus muneris apostolici.*

Ἐξ ἧς παρέβη Ἰούδας. Verbum παραβαίνειν, *transscendere limites*, sequente praepositione ἐκ, significat *deserere*, ita ut vertendum sit: *quod munus deseruit Judas.*

Postrema vero hujus sectionis verba πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον, difficiliora sunt interpretatu. Nam in antecessum animadvertendum est, ante πορευθῆναι supplendum esse ὥστε vel εἰς τό. Conf. annotatio SCHWEIGHAEUSERI in verba HERODOTI, *Hist.* VIII: 107, 7°, διαφυλαξούσας τὰς σχεδίας πορευθῆναι Βασιλεΐ.

Tum quaeritur, utrum conjungenda sint haec verba cum dicto: λαβεῖν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης καὶ ἀποστολῆς, ita ut verba: ἐξ ἧς παρέβη Ἰούδας parenthesi includantur; an vero cum his ipsis cohaereant; id est: utrum *Judae successorem*, an vero *ipsum Judam* spectent. -- Nonnulli, quos laudant KUINOELIUS et WETTIUS, atque illi, quos indicarunt BOWYERUS et SCHULZIUS (1),

---

(1) *Konjekturen über das N. T.*, I, pg. 239.

priorem sententiam amplexi sunt, hoc sensu: *ut occupet locum ipsi debitum in Apostolorum collegio.* Huic vero interpretationi KUINOELIUS, WOLFIUM secutus, tanti ponderis argumenta opponit, ut longe plurimorum interpretum sententiae subscribere non dubitemus, qua haec verba ad *Judam* referuntur.

Hac vero assumta sententia, alia oritur quaestio, quomodo ipsa illa verba explicanda sint. Ubi denuo in varias abeunt partes interpretes. - Nonnulli enim τὸν τόπον τὸν ἴδιον vel Judae *domum*, vel ejus *villam*, vel *societatem Pharisaeorum*, vel ejus *suicidium*, vel ejus *sepulcrum* intelligunt. Quos vero recte refutarunt WOLFIUS, KUINOELIUS et WETTIUS, ad quos lectorem dimittere liceat. Postremi igitur hi aliique bene multi, inter quos clar. HENGELIUS (*in Annott. in loca nonnulla N. T.* Amstel. 1824, pg. 91), eam praetulerunt interpretationem, quae et mihi unica vera esse videtur. Explicant nempe: *ut in locum damnatorum, sibi constitutum, abiret.* Τὸ ἴδιον enim significat: *quod ipsi convenit*, et respondet vocabulo δίκαιον, quod in Codice Alexandrino legitur. Conf. clar. HENGELIUS, in *Commentario perpetuo in*

1 *Cor. XV*, pg. 97; -- et vidd. loci, tum apud scriptores ecclesiasticos, tum apud exteros, qui ad hanc interpretationem stabiliendam a viris laudatis allati sunt. -- Ita conjectura VERSCHUIRII in *Opuscc.*, a LOTZIO editis, pg. 329, non indigemus, qua pro vocabulo ἴδιον legatur ἀΐδιον.

Ne vero quis objiciat verisimile non esse, Petrum de Judae conditione, post discessum e vita, tam severum tulisse judicium, animadvertendum est, Domino eum auditorem affuisse, cum de Proditore ea diceret, quae legimus Matth. XXVI: 24ᵇ. Quorum verborum non mitiorem esse sententiam, quam Petrini ex nostrâ sententiâ dicti, nemo facile negaverit. -- Neque, psychologice haec verba interpretanti, mirum videbitur, Petrum, hominem fervidissimum, ardentissimoque erga Christum amore flagrantem, sibi persuasisse, ob horrendum scelus, quod erga Dominum ac Magistrum sanctissimum perpetraverat Judas, gravissimam eum luere poenam. Vel sic tamen, leniter quamtumpote atque euphemice ab Apostolo haec sunt enunciata; tali nimirum de vetere sodali, quem et Ipse Jesus διάβολον, Joann. VI: 70, et υἱὸν τῆς ἀπωλείας, Joann. XVII: 12, appellaverat.

S. 26.

Καὶ ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν, καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν, καὶ συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων.

In interpretanda hacce sectione otium mihi fecit clar. HENGELIUS, qui more suo, id est doctissime, eam tractavit in *Annot.* laud. pg. 91-100; cujus igitur sententiae, firmis argumentis probatae, omnino subscribendum videtur.

Καὶ ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν. Recte ab eo eorum repudiatur sententia, qui haec verba reddunt: *et* (qui praesentes aderant) *dabant suffragia sua.* Verbum quidem δίδωμι etiam hîc *dandi* significationem retinere, cum HENGELIO statuunt KUINOELIUS, WETTIUS et BRETSCHNEIDERUS, locos afferentes, in quibus idem loquendi usus obtinet. Sed κλήρους non indicare *tesseras* docent, sed *tabellas*, quibus nomina inscripta essent eorum, quorum causa sortitio instituebatur; praeëuntc GROTIO, qui sortiendi modum recte descripsisse videtur. -- Jam αὐτῶν referendum ad Josephum et Matthiam. Sensus igitur est: *et dabant Josephus et Matthias*

tabulas, quibus ipsi nomina sua inscripserant, ut urnae, sortitioni destinatae, imponerentur.

Καὶ ἔπεσεν ὁ κλῆρος ἐπὶ Ματθίαν. Ex HENGELII disputatione patet, haec verba exponenda esse: *et concussa urna, tabula, cui nomen* Matthiae *inscriptum erat, exiit una cum illa, in qua habebatur vocabulum* Apostolus.

Καὶ συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων. Verbum συγκαταψηφίζειν proprie significat, monente BRETSCHNEIDERO in voce, *una per calculos aut damnare, aut absolvere*, deinde *numerando adjungere alicui*, et in passivo *annumerari*. Quocirca vertendum est: *et undecim Apostolis, ut duodecimus, annumeratus est.* WETTIUS, *primam* verbi significationem urgens, ipse animadvertisse videtur, eam nostro loco non sine difficultate retineri posse. Putat igitur hîc reperiri constructionem praegnantem, quae hoc modo sit exponenda: *coöptabatur cum undecim Apostolis, ut in posterum cum iis conjunctus maneret.* -- Conf. de ipso sortitionis modo praeclara HENGELII disputatio, l. l., pg. 98, 99.

Quod igitur optaverat Petrus, factum est.

Judae locum occupat Matthias, qui ab eo inde tempore, vocationi obsecutus, paratus erat ad peragendos eosdem labores, et ad ferendas διὰ τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου easdem calamitates, quas ceteri Apostoli.

PARS POSTERIOR.

Ethico-theologica.

Accedimus ad *alteram* disquisitionis partem, in qua nonnulla eorum, quae Parte *priore* critice atque exegetice, quantum potuimus, illustravimus, accuratius nobis pertractanda sunt.

§ 1.

Petri consilium modeste judicatur.

Quaeritur, utrum Petrus, quum suaderet, ut Judae alius quis sufficeretur Apostolus, recte fe-

cerit necne. Fuerunt enim qui statuerent, Christianos, Matthiam Christi Legatorum in collegium coöptantes, contra Jesu consilium egisse; quandoquidem Ipse *Paulum* postea ad apostolicam dignitatem vocaverit, atque hujus demum vocatione Apostolorum numerum suppleverit. Quod ejusmodi erat, ut hic scribere potuerit, epist. *ad Galatas*, cap. I: 1., se Apostolum esse οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ Πατρός. -- Quae quidem sententia primo adspectu satis speciosa videtur.

Primum enim, si comparationem instituimus *Matthiam* inter et *Paulum*, ac quaerimus, quae rei Christianae causa vel hic fecerit, vel ille, inde argumentum peti posse videtur contra Christianorum agendi rationem, quod nusquam in N. T. scriptis, praeterquam hoc loco, *Matthiae* mentio fiat, *Paulus* vero omnium maximus fuerit Apostolus.

Deinde, nusquam legimus, Jesum ante discessum in coelestes sedes hoc commendâsse, nedum Petro exsequendum mandâsse consilium. Unde factum sit, ut Petrus ad V. F. quidem loca, non vero ad Domini praeceptum, provocaret.

Tandem, mirum videri possit, Petrum, si vel hoc perficiendum esse sibi persuasum haberet, illud tempus non exspectasse, quo Spiritus, a Domino promissus, mitteretur; quippe cujus pleniore luce in re tanti momenti collustrari potuisset.

Plurima tamen hisce opponi possunt dictis, ut Petri ceterorumque Jesu sectatorum agendi rationem non reprehendendam esse appareat, sed laudandam potius.

Etenim, quod *primo* loco observandum est, Jesus *duodecim* Apostolos elegerat, qui etiam ipse numerus fuerat Presbyterorum, a Mose creatorum (Num. I: 44, VII: 2, 3, XIII: 2), et gentis Israëliticae tribuum. Quo etiam Ipse Jesus saepius respexerat. Vidd. Matth. XIX: 28, Luc. XXII: 30. -- Quid mirum ergo, Petro fas visum esse, ut ille numerus post Judae abitum suppleretur, quo melius Magistri Dominique consilio ac voluntati satisfieret?

Secundo. Petro rem commendanti nemo Jesu sectatorum, qui tunc temporis aderant, adversatus est. Contra, omnes cum eo consenserunt. Ex quo effici potest, illos hac in re nihil a-

nimadvertisse, quod vel Domino displiceret, vel rei Christianae noxium habendum esset.

Tertio. Vocatio Apostoli, qui Judae locum occuparet, ita sanctissimae causae nocere non poterat, ut potius damnum, quod Societas Christiana e pessimo Judae crimine passa esset, aut pati posset, tolleret. Christi enim adversarii in posterum Apostolorum collegium, Judae nemine suffecto, digito monstrare potuissent, hoc vel hujusmodi quid ignominiose dictitantes: „ En! viri illi *undecim*, discipuli sunt „ Jesu istius Nazarethani, olim cruci affixi! „ Quaenam vero causa mortis ejus cruentae? „ *Duodecim* elegerat Apostolos, qui per omne „ tempus, quod inter nos degit, Regem se „ venditans Judaeorum promissumque Messiam, „ eum comitati sunt; at horum unus Magis„ trum prodidit ac triginta nummis argenteis „ vendidit. Hinc patuit, scilicet quale regnum „ esset, quod condendum sibi prosposuerat!" -- Quin et ipsos Christianos offendere potuerat spectaculum, quoties oculos conjiciebant in undecim Apostolos, unum in sanctissimo illo collegio desiderari. Quod igitur dedecus avertere studuit Petrus et studuerunt ceteri.

Quarto. Quod suadebat consilium, persuasissimum sibi habuit Petrus per eos commendari, quos ex *Psalmorum* libro citat, locos. Cui horum auctoritati nemo eorum, qui aderant, vim inesse negavit. Unde effici potest, ceteros etiam locis laudatis ejusmodi quid inesse arbitratos esse, quod commendatae agendi rationi praesidium parare posset.

Quinto. Verum quidem est, nullum esse N. T. locum, qui aperte doceat, Jesum Apostolos id, quod jam faciebant, jussisse. Sed tamen nimis audax conjectura non dicenda videtur, Eum, ante abitum in coelum, ejusmodi praeceptum dedisse. -- *Primum* enim commendari videtur haec suspicio verbis, quibus Petrus precibus utitur: Κύριε Καρδιογνῶστα, ἀνάδειξον, ὃν ἐξελέξω. -- *Deinde*, ejusmodi praeceptum commode referri potest ad τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, de quibus saepius, post reditum in vitam, cum Apostolis collocutus erat Magister optimus. Conf. Act. I: 3.

Sunt quidem, quod *sexto* monemus, qui, uti antea vidimus, existiment, Christianorum hanc agendi rationem propterea improbandam esse, quod Ipse Jesus *Paulum* Apostolum elegerit

atque ita Apostolorum collegium numerumque suppleverit. -- Sed unde tandem patet, plures, quam duodecim, creari Apostolos non licuisse? Tum, si statuimus Paulum Judae locum occupare oportuisse, atque ita duodecimum in Apostolorum collegio esse; -- nonne aliunde novimus *Barnabam* quoque Apostolum dictum fuisse, Act. XIV: 14, et, praeter Matthiam et Paulum, *plures* deinceps hoc nomine insignitos fuisse? Qua de re conf. HENGELIUS, *Comment. laud. in* 1 *Cor. XV*, pg. 47.

§ 2.

Quâ de causâ Petrus *potissimum rei auctor fuerit, et quomodo eam egerit explicatur.*

Consilium, ut novus Apostolus undecim Apostolorum collegio adderetur, a *Petro* potissimum datum esse, non miramur; -- in eoque suadendo Petrum sibi similem animadvertimus, ejusque diligentiam ac probitatem suspicimus. Ille enim, Domino carissimo in terra versante,

ante alios verba facere, aut ad Magistri quaestiones respondere, sociisque in rebus agendis praeïre consueverat. Itaque nunc quoque rem tanti momenti primus aggreditur, sincerissimo erga Jesum amore flagrans. Antea quidem ter Magistrum abnegaverat. Sed quam acerbis poenitentiae lacrymis inconstantiam turpemque hominum timorem defleverat! Ac post Jesu prope mare Tiberiadis apparitionem omnis in eo est, ut semper ad curam Societatis Christianae, ipsi cum ceteris mandatam, gerendam paratissimum sese praebeat. In hoc enim Petri consilio *rei Christianae curam* valde perspicuam esse, supra jam, § 1, significavimus.

Sed alia etiam hîc animadversione digna sunt. *Primum* enim, quae suadet Apostolus, ea *sine ulla* commendat *arrogantia*, ita ut ceteris hac de re sententiam dicendi liberrima daretur facultas. Quocirca apposite Chrysostomus, *Homil. III in Act.*, Petrum fecisse ait „ οὐδὲν „ αὐθεντικῶς οὐδὲ ἀρχικῶς."

Deinde, ea quidem dilucide ac studiose indicat, *quae in Judae successore requiri videantur*, non vero arbitratu suo, nec sua auctoritate, *quis ad apostolicam dignitatem sit evocandus* declarat.

Tum, Judae successorem nominari vult, cum *multi*, id est centum et viginti, *Jesu sectatores in unum convenerant*, rem tam gravem non a paucis, sed a pluribus agi debere putans.

Si *tempus* spectamus; aptissimum sane hoc erat. Nam Spiritûs Sancti dona, a Jesu promissa, nondum effusa erant. Nunc igitur si novus Apostolus creabatur, eorum donorum absque dubio particeps futurus erat.

Nec negligenda *accurata*, *quam dabat*, *definitio illius viri*, *qui Judae succederet*, qua probe se scire clarissime ostendebat, quodnam Euangelii, cujus Apostolis mandata erat annuntiatio, argumentum esse deberet.

Atque hîc denuo perpendatur *consensus unanimis*, quo omnes Petri consilium excipiebant. Qui consensus, quam utile atque opportunum hoc potissimum tempore Petri consilium videretur, evincit. Eratque igitur tanta haec Christianorum concordia ipsis honorifica, atque, in similibus rerum adjunctis, omnium imitatione digna.

Tandem animadvertendus est *modus*, *quo optio inter binos*, *qui ad munus apostolicum gerendum aptissimi habebantur*, *instituebatur*; *sortitione* nimirum, cujus exitus piis precibus Domino,

Societatis Christianae Auctori ac Gubernatori, ab omnibus commendabatur. Qua tamen de re antequam singulatim agam, quae de ipso Matthia, qui in Apostolorum coetum sorte coöptabatur, feruntur, cum commemoranda, tum dijudicanda videntur.

§. 3.

De Matthia quae sciamus, exponitur.

Pauca sunt quae alibi de Matthia narrata reperimus, eaque ejusmodi, ut pleraque aliquam tantum, si ullam, veritatis speciem habere videantur. Quum vero cara sint quae rara sunt, quam accuratissime nobis colligenda sunt, quae, ad eum pertinentia, hic illic dispersa occurrunt.

Hoc certissimum esse videtur, eum in *septuaginta illis discipulis* fuisse, quorum, ab Ipso Jesu e sectatorum multitudine electorum, mentio facta est a Luca, Euang. X: 1. Quod tum dicto Petrino, Act. I: 21, 22, probari videtur; tum Eusebii loco, *Hist. Eccles.* I: 12,

ubi haec leguntur: „ Ματθίαν τὸν ἀντὶ Ἰούδα τοῦ
„ προδότου τοῖς ἀποστόλοις ἐγκαταλεγόντα, τόν τε
„ σὺν αὐτῷ ὁμοίᾳ ψήφῳ τιμηθέντα, τῆς αὐτῆς τῶν
„ ἑβδομήκοντα κλήσεως ἠξιῶσθαι κατέχει λόγος."

Antiquissima est traditio, quemadmodum ceteris Apostolis, ita et Matthiae regionem, in qua potissimum Euangelium annuntiaret, sorte obtigisse; quam vero alii dicunt Palaestinam, Macedoniam alii, alii Cappadociam.

Apud veteres subinde mentio fit *Euangelii* cujusdam, quod *Matthiae* tribuitur.

Origenes, *Homil. I in Lucam* ex vetere ait versione: „ Scio Euangelium, quod appellatur
„ secundum Thomam, et juxta *Matthiam*, eet."

Eusebius, *Hist. Eccl.* III: 25, „ Ἵν' εἰδέναι
„ ἔχοιμεν αὐτάς τε ταύτας καὶ τὰς ὀνόματι τῶν
„ Ἀποστόλων πρὸς τῶν Αἱρετικῶν προφερομένας, ἤτοι ὡς
„ Πέτρου καὶ Θωμᾶ καὶ Ματθία, ἢ καί τινων παρὰ
„ τούτους ἄλλων Εὐαγγέλια περιεχούσας, κ.τ.λ."

Hieronymus *in prooemio ad commentarios super Matthaeum*: „ Plures fuisse" ait „ qui
„ Euangelia scripserunt, et Lucas Euangelista
„ testatur — — — et perseverantia usque in

„ praesens monumenta declarant, quae a diver-
„ sis autoribus edita diversarum haereseôn fuere
„ principia, ut est illud juxta Aegyptios, et
„ Thomam, et *Matthiam*, et Bartholomaeum,
„ duodecimque Apostolorum, et Basilidis atque
„ Apellis ac reliquorum, quos enumerare lon-
„ gissimum est, cum tantum in praesentiarum
„ hoc necesse sit dicere, exstitisse quosdam,
„ qui sine Spiritu et gratia Dei conati sunt
„ magis ordinare narrationem, quam historiae
„ texere veritatem."

Ambrosius, *Comment. in S. Lucam prooemio*, testatur: „ Sic et nunc in Novo Testamento
„ multi euangelia scribere conati sunt, quae
„ boni numularii non probaverunt. Unum au-
„ tem tantummodo in quatuor libros digestum
„ ex omnibus arbitrati sunt eligendum. Et
„ aliud quidem fertur euangelium, quod duode-
„ cim scripsisse dicuntur. Ausus est etiam Ba-
„ silides euangelium scribere, quod dicitur se-
„ cundum Basilidem. Fertur etiam aliud euan-
„ gelium, quod scribitur secundum Thomam.
„ Novi aliud scriptum secundum *Matthiam*.
„ Legimus aliqua ne legantur, legimus ne igno-
„ remus, legimus non ut teneamus, sed ut

„ repudiemus, et ut sciamus qualia sint, in qui-
„ bus magnifici isti cor exaltant suum; cet."

Gelasius, in decreto de libris apocryphis, quod exstat in Jure Canonico, distinct. XV, can. 3, ex vulgatâ quidem lectione, memorat: „ — — — euangelium nomine Thaddaei, apo-
„ cryphum." Sed pro *Thaddaei* nomine ibi nonnulli codices legunt *Matthiae*, alii utriusque nomen conjungunt *Thaddaei* et *Matthiae*.

Beda Venerabilis, *initio Commentarii in Lucam*: „ Quo manifestissime prooemio signifi-
„ cat (Lucas) eam sibi maxime causam euan-
„ gelii fuisse scribendi, ne Pseudo-Euangelistis
„ facultas esset falsa praedicandi, qui ut eorum
„ hodieque monumenta testantur, sub nomine
„ Apostolorum, perfidiae conati sunt inducere
„ sectas. Denique nonnulli Thomae, alii Bar-
„ tholomaei, quidam *Matthiae*, aliqui etiam
„ duodecim Apostolorum titulo reperiuntur falso
„ inscripta praenotasse, cet."

Conf. D. van Heyst, *in operibus Soc. Haganae*, 1834, pg. 163 (1), et Fabricii *Codex apocryphus N. T.*, pg. 371.

(1) Cujus Commentationis titulus est: *Over het Kanoniek Gezag van de boeken des N. T.*

Memorantur etiam *Matthiae* παραδόσεις, atque ex iis dicta quaedam afferuntur.

Clemens Alexandrinus, *Stromatum* II, pg. 380. „ Ματθίας ἐν ταῖς παραδόσεσι παραινῶν, „ θαύμασον τὰ παρόντα, βαθμὸν τοῦτον πρῶτον τῆς „ ἐπέκεινα γνώσεως ὑποτιθέμενος."

Clemens Alex., *Strom.* III, pg. 436, atque ex eo Eusebius, *Hist. Eccles.* III: 29 et Nicephorus, *Hist. Eccles.* III: 15: „ Λέγουσι γὰρ οὖν (οἱ Καρποκρατιανοὶ) τὸν Ματ- „ θίαν οὕτως διδάξαι, σαρκὶ μὲν μάχεσθαι καὶ πα- „ ραχρῆσθαι, μηθὲν αὐτῇ πρὸς ἡδονὴν ἀκόλαστον „ ἐνδιδόντα, ψυχὴν δὲ αὔξειν διὰ πίστεως καὶ γνώ- „ σεως."

Idem Clemens Alex., *Strom.* VII, pg. 748: „ Λέγουσι δὲ ἐν ταῖς παραδόσεσι Ματθίαν τὸν Ἀπό- „ στολον παρ' ἕκαστα εἰρηκέναι, ὅτι ἐὰν ἐκλεκτοῦ γείτων „ ἁμαρτήσῃ, ἥμαρτεν ὁ ἐκλεκτός. Εἰ γὰρ οὕτως ἑαυτὸν „ ἦγεν ὡς ὁ λόγος ὑπαγορεύει, κατηδέσθη ἂν αὐτοῦ „ τὸν βίον καὶ ὁ γείτων εἰς τὸ μὴ ἁμαρτεῖν."

Tandem idem Clemens Alex., *ibidem* VII, pg. 765: „ Τῶν δὲ αἱρέσεων αἱ μὲν ἀπὸ ὀνόματος „ προσαγορεύονται ὡς ἡ ἀπὸ Οὐαλεντίνου καὶ Μαρ- „ κίωνος καὶ Βασιλείδου, καθ' ἣν τὴν Ματθίου αὐχῶσι „ προσάγεσθαι δόξαν. — — — Μία γὰρ ἡ πάντων

» γέγονε τῶν Ἀποστόλων ὥσπερ διδασκαλία, οὕτως δὲ
» καὶ ἡ παράδοσις."

Conff. FABRICIUS, l. l., pg. 784-787, et GRABII *Specilegium Ss. Patrum seculi II*, pg. 118.

Sed haec omnia ita incerta sunt, ut ad Matthiam ejusque historiam cognoscendam non multum lucis afferre censenda sint. Quapropter profiteri non dubitamus, de hoc Apostolo ea tantum certo nobis innotuisse, quae Lucas in primo Actuum Apostolicorum Capite narravit. -- Ceterum, de iis, quae *de fatis et morte Matthiae* antiquitus ferebantur, -- et *de honore, ei posterioribus seculis habito*, conff. quae reperiuntur de *Anonymi Actis S. Matthiae, versis ex Hebraeo*, apud FABRICIUM, l. l., pg. 782, et W. CAVE (1).

Ex hâc autem antiquorum de ejus fatis factisque vel incerta ac vaga traditione, vel silentio nemo argumentum petat contra Apostolorum sapientiam, qua Eum apostolica dignitate

(1) Cujus operis titulus: *Apostolische Oudheden*, I, pg. 346-350.

ornaverint! Etenim inter illos quoque, quos Ipse Jesus creavit, Apostolos nonnulli fuerunt, quorum solum nomen, nec ulla facta ad posteritatis notitiam pervenerint. Ac fieri potuit, ut Matthias in remotissima aliqua regione ita euangelium Christi, per longius aut brevius temporis spatium, vel optimo successu atque exitu, annuntiaverit, ut tamen de rebus, ab eo gestis ac de fatis, quibus usus est, ad Lucae aliorumve cognitionem, vel pauca, vel nulla pervenirent.

§ 4.

De Sortis subsidio, in Apostoli coöptatione, a Christi sectatoribus adhibito, agitur.

Restat ut de eo paucis disputemus, quid de *sortis* usu, in Matthiae in Apostolorum coetum coöptatione, a Petro sociisque adhibito, judicandum sit. Quaeri enim potest, cum binos ex iis Jesu discipulis, quos septuaginta habuerat prae ceteris caros sibi ac devinctos,

omnium consensu Apostolatus candidatos elegissent, τῆς διακονίας ταύτης ἀξίους, quidni eum manu ac voce significaverint ipsi, quem unum Judae successorem Apostolorumque, qui superarant, comitem ac socium designari vellent? -- quid eos impulerit, ut, sortitione usi, rem non ipsi ad exitum perducerent, sed eam Christo, Domino ac Magistro, mandarent, precantes ut Ipse quem munus apostolicum obire vellet significaret.

Hîc vero, antequam pergamus, benevoli mihi permittant lectores ut pauca moneam, quae in *priore* jam disquisitionis *Parte* dici potuerant; nec tamen hoc loco, ut spero, a re, quam agimus, plane aliena censebuntur. -- Non dubium est, quin Matthias veri nominis *sortitione* electus sit, neque ullius momenti habendum est, nec refutatione dignum, commentum Pseudo-Dionysii, *de Eccles. Hierarch.* Cap. V, § 5 (quod miri studium peperisse luculenter patet, cujusque meminit etiam Cave, l. l. pg. 349), κλῆρον intelligentis: θεαρχικόν τι δῶρον vel συμβολόν τι ἐξ ἀποκαλύψεως, quod, de coelo descendens, Matthiae sese imposuerit, atque ita indicaverit

eum a Deo electum esse, ut Apostolorum choro adjungeretur. Rem ita refert BINGHAMIUS, *Origin. s. Antiquit. Ecclesiastt.*, Vol. II, Lib. IV, Cap. I, § 1: „ Δοκεῖ μοι τὰ λόγια κλῆρον „ ὀνομάσαι θεαρχικόν τι δῶρον, ὑποδηλοῦν ἐκείνῳ τῷ „ ἱεραρχικῷ χορῷ τὸν ὑπὸ τῆς θείας ἐκλογῆς ἀναδε- „ δειγμένον." Verum haec *memorare* est *refutare*.

Plurima autem afferri posse videntur, non tantum ad declarandam Jesu sectatorum rationem agendi, sed etiam ad eam defendendam, quin et laudandam, quippe quae prudentiam habeat ac pietatem, in rei gravissimae cura conspicuam.

Quid illos ad *sortis* usum adhibendum adduxerit, si quaeras: -- latere sane eos non poterat, saepius sacris in libris sortitionis institutae fieri mentionem. Quam adhibitam esse noverant in *rebus dubiis*, docente historia *Achanis*, Joz. VII, *Jonathanis*, 1 Sam. XIV: 42, et *Jonae*, I: 7; -- tum *ipso Deo diserte jubente*, Num. XXVI: 55, 56; -- tandem in *rebus sacro cum cultu conjunctis*, Levit. XVI: 8-10. Qualem sortis usum ipsa eorum etiam

aetate viguisse, effici potest e Lucae Euang. I: 9. -- Nec negligenda *dicta Salomonea*, huc pertinentia atque absque dubio iis nota, in Proverbiorum libro cap. XVI: 33 et XVIII: 18. Quae omnia huicce Apostolorum ceterorumque Jesu sectatorum consilio atque agendi rationi ansam dare potuerunt.

Sed si vel sic tamen offendat aliquem sortis usus, ab iis adhibitus, animadvertat velim eos sorte non prius usos esse, quam ipsi rem eo perduxissent, quo eam a se perduci posse ac debere existimarent. Persuasum iis erat, Judae successorem ex septuaginta illis discipulis, qui Jesum comitati erant, legendum esse. Nec vero his ex omnibus promiscue sorte quempiam capiebant, sed unanimi consensu, re bene ac diligenter deliberata, binos indicabant. Ambo enim, iis judicibus, ad munus apostolicum gerendum apti sunt, neque tamen uter sit praeferendus norunt. Quid igitur faciendum? *Christo* demandetur optio τῷ καρδιογνώστῃ, Magistro suo atque Societatis Christianae Conditori ac Domino, cui summa auctoritas ac potentia in coelis atque in terra a Deo Patre data erat. Quomodo vero? Sorte adhibenda, *cujus rectio*

est penes Dominum, docente Codice Sacro, quem maximo afficere solent honore, Prov. XVI: 33. Conf. Riehmii hoc de loco commentatio (1), quae dignissima est quae tota legatur.

Pio igitur ac prudenti consilio ad sortitionem instituendam adducebantur Christiani. Quapropter non reprehendendi sunt, -- sed potius ab illâ, quam hîc demonstrabant, pietate multis nominibus probandi. Iis sors non erat casus fortuitus, sed subsidium, quo Societatis Christianae Gubernatorem usurum esse confidebant, ut Suam ipsis patefaceret voluntatem. Ea fecerant ipsi, quae ut homines, sanâ ratione a Creatore praediti, egregio illo dono utentes, facere poterant. Sed humanae memores tenuitatis atque imbecillitatis, rei exitum Domino tradunt moderandum, quum persuasissimum sibi habeant, errare humanum esse. Tum, Spiritus Sancti, a Jesu promissi, χαρίσμασι uberioribus nondum donati, plus sibi sumere ac tribuere nolunt, quam fas et par esse putarent. --

---

(1) Quae occurrit in: *Maandschrift voor Christenen van den beschaafden stand*, IV, I, pg. 55.

Ecce! genua flectunt, oculos ad coelum convertunt, animis maxima Christi veneratione plenis precantur: „ Tu, Domine, animorum » perscrutator! ex binis his fratribus nostris » illum nobis indica, qui ut in posterum Ju» dae locum occupet, pro unica Tua sapien» tia, decreveris!" -- Sors excidit Matthiae; manus ei porrigitur sodalitatis; statim undecim Apostolis annumeratur; ipse ille Barsabas socio gratulatur, neque invidet, sed sortitionis exitum laudat!

Quaeritur porro, utrum aliquando hoc Ecclesiae Hierosolymitanae exemplum regula nobis ac norma esse possit, ad quam ecclesiasticis in rebus dubia nostra decernamus. Ad quam quaestionem alii affirmando, alii negando responderunt (1). Mota imprimis atque agitata est haec

(1) Quod ad praesentem rem attinet; in memoriam revocanda videtur dissertatio Gisberti Voetii, *de sortis aliisque divini nominis abusibus*, qua variae sortis definitiones continentur, quaeque docet, alicujus rei abusum non tollere ejus usum. Quae dissertatio obvia est in *Selectarum Disputationum Theologicarum*, ab eo editarum, *Parte Tertia*, pgg. 1194—1201.

quaestio, quum CORNELIUS EPENIUS (VAN EPEN) rerum sacrarum antistes, anno 1809 Blokzylia Wolvegam evocatus esset, qui, quum abeundumne sibi esset, an illa in statione manendum, valde dubitaret, palam, praesentibus certe coetûs Antistibus, haud sine precibus cantuque solenni, quaestionem sorti dirimendam permisit. Quem ipsum sortis usum ecclesiae, cui praecërat, profuturum esse confidebat (1). Hac vero opportunitate vir doctus anonymus, edito singulari libello, ex professo egit de hacce quaestione (2). Cui igitur quaestioni negando respondens, quod egerat EPENIUS improbavit atque acrius reprehendit. -- Huic vero libello refutando operam dedit EPENIUS, edito scripto quodam (3); --

---

(1) Vid. *Boekzaal der geleerde Wereld*, mensis Oct., anni 1809.

(2) Cujus libelli titulus: *de Vrage: Mag een Kerkeraad, bij het maken van eene kieslijst, en het doen van een beroep? — mag een Predikant, bij het aannemen of afwijzen van eene beroeping, gebruik maken van het Lot? vrijmoedig en bescheiden onderzocht en beoordeeld.* Utr. 1810.

(3) Cui titulus: *Het betamelijk gebruik van het Lot, bijzonder in kerkelijke zaken, overeenkomstig Bijbel en gezond verstand, bewezen tegen den schrijver van het stukje: „Mag een Kerkeraad, enz."* — Amst. 1811.

cujus disputationis censura, a JOANNE CLARISSE scripta, et praeclara monita, ad praesentem rem pertinentia, continens, reperitur in opere: *Censor Censorum*, VI, pg. 360-365; -- de qua conf. *Memoria* CLARISSII, accurate conscripta a clar. HERMANNO BOUMAN, Traj. ad Rhen. 1850, pg. 285, sq.

Quae omnia si inter se comparantur, tuto statui posse videtur, Matthiae in Apostolorum coetum coöptationem, sorte diremtam, rem fuisse prorsus singularem, neque igitur plerumque nobis agendi regulam ac normam esse posse. Unde tamen non sequitur, sortis usum nobis prorsus interdicendum esse. Fieri enim potest ac saepius fit in rebus ecclesiasticis discernendis, ut sortitio rixis finem imponat, difficultates tollat, atque ita acriter dissentientes fratrum animos conciliet, ut jam in sortis exitu placide ac pacifice omnes acquiescant. Verum nunquam ad hoc recurratur subsidium, nisi postquam, ut Jesu sectatores in Matthiae electione, ipsi ea, quae poteramus, perfecerimus; atque sorti non detur optio inter plures, quam binos aut tres, quos, ad munus gerendum necessariis, praeditos

esse dotibus, persuasum nobis est. Denique ita jam Christi discipulos imitemur, Hierosolymis congregatos, ut totam, quae in deliberationem venit, rem, pias preces fundentes, Christo Ecclesiae Domino ac Gubernatori regendam commendemus!

Recte igitur Ecclesiae Reformatae Nederlandicae Moderatores, dubiis nonnullis in rebus, Synedriis sortitionem instituendam concesserunt, quin et diserte praeceperunt. Vid. clar. H. J. Royaards, operis egregii, cui titulus est: *Hedendaagsch Kerkregt bij de Hervormden in Nederland*, Traj. ad Rhen. 1834-37, Tom. II, pg. 53. Conf. G. van der Tuuk, *Handboek voor Hervormde Predikanten en Kerkenraadsleden*, *Partis* III, pg. 293, artt. 46, 47, atque ejusdem operis *tweede Vervolg*, pg. 9, ubi ea reperiuntur, quae anno 1834 addita sunt articulis, modo laudatis, Ordinationis, quae dicitur: *Gerevideerd Reglement op de Vacaturen, alsmede op de beroeping en het ontslag van Predikanten*, 1826. -- Quam ipsam agendi rationem nuperrime probavit *Synodus Ecclesiae Nederlandicae*, nova in *Ordinatione generali*

(*Algemeen Reglement voor de Hervormde Kerk in het Koningrijk der Nederlanden*), constituta 9 Sept. 1851, et regia auctoritate sancita 23 Mart. 1852, art. 8.

Jamque hac mea qualicunque disputatione, quam, ut, summos petiturus in Theologia honores, consuetudini legibusque Academicis satisfacerem, conscripsi, pro viribus ad finem perducta, tenuitatis meae probe mihi conscius, Deo, Patri Clementissimo, maximas, quas possum, gratias ago, lectoresque ac judices mihi opto aequos ac benevolos!

THESES.

THESES.

I.

Ex *Paulo*, ab ipso Christo ad apostolicam dignitatem vocato, nullum peti potest argumentum ad Christianos, Apostolorum numerum *Matthiae* coöptatione supplentes, reprehendendos.

II.

Christiani, qui, novum electuri Apostolum, sortitionis subsidio uterentur, non vituperandi sunt, sed laudandi.

III.

Barsabas, cujus mentio fit Act. I: 23, idem habendus est qui *Barnabas*, de quo agitur Act. IV: 36 et aliis N. T. locis.

IV.

Quae de *Matthia* ejusque scriptis a serioris temporis scriptoribus relata reperimus, tam incertae sunt fidei, ut ejus historiae nihil fere lucis afferre censenda sint.

V.

Vox καρδιογνώστης, Act. I: 24, non ad *Deum*, sed ad *Christum* referenda est.

VI.

Augustino assentior, qui, *in Ps.* XXX, *conc.* 2, „*Sors*," inquit, „*non est aliquid* „*mali, sed res, in dubitatione humanâ, divi-* „*nam indicans voluntatem.*"

VII.

In eo divina Jesu veneranda est sapientia, quod non publice nec universo populo Judaïco, sed Apostolis tantum aliisque sectatoribus suis, post reditum in vitam, sese conspiciendum dederit.

VIII.

Vere HAGENBACHIUS (*Encyklopädie und Methodologie der theol. Wissensch.*, ed. tertiae, Lips. 1851, § 52): „*Die biblische Hermeneutik handelt von den Grundsätzen, nach welchen die heil. Schrift auszulegen ist. Da diese Grundsätze im Allgemeinen dieselben sind, welche bei jeder menschlichen Schrift in Anwendung kommen, so unterscheidet sich die Hermeneutik als theologische Wissenschaft von der allgemeinen (philosophisch-philologischen) weiter in gar nichts, als in ihrer speciellen Beziehung auf den Gegenstand der Auslegung, wobei der eigenthümlich religiöse Charakter der Bibel allerdings in Betracht kommt.*"

IX.

Eleganter ac vere clar. ROYAARDSIUS (*Compend. Hist. Eccles.* T. II, § 6) *Erasmum* Reformationis τὸν κήρυκα dixit.

X.

Orationum sacrarum componendarum metho-

dus, quae dicitur, *Hollandica* multis nominibus sese commendare mihi videtur.

XI.

Is demum Sacrorum Antistes coetûsque Christiani Pastor omnes muneris sui partes implere existimandus est, qui non publicis tantum orationibus et privata institutione atque adhortatione, sed constanti etiam pietatis virtutisque exemplo Christi gregi prodesse conatur.

XII.

Muneris sacri non minimum hoc pensum est, ut puerorum adultorumque animi, doctrinae salutaris historiaeque biblicae cognitione imbuti, ad verum erga Deum Jesumque amorem Christianaeque pietatis studium, vel maturе componantur, vel magis magisque informentur.

CORRIGENDA.

Pag. 14, *reg.* 10: minisculus *lege:* minusculus.

" " , " 11: nibili " : nihili.

" 41, " 7: τὴν ἐπισκοτὴν " : τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ.

" 44, " 15: γενέσθαι σὺν ἡμῖν *lege:* σὺν ἡμῖν γενέσθαι.

" 47, " 16: ἐκπορευομένᾳ *lege:* ἐκπορευομένῳ.

" 51, " 9: ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα ὃν ἐξελέξω *lege:* ὃν ἐξελέξω ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα.

" 63, " 20: prosposucrat *lege:* proposucrat.